DECRETUM ATHENIENSIUM IN HONOREM HYRCANI PONTIFICIS M. IUDAEORUM FACTUM: COMMENTARIO HISTORICO GRAMMATICO CRITICO

DE ... PATRVM
ATHE... NIENSIVM
IN H... ONOREM
HYRCANI ... PONTIFICIS
IVDAEORVM FACTVM
COMMENTARIO
HISTORICO GRAMMATICO CRITICO
ILLVSTRAVIT
IO. TOB. KREBSIO. A. M.
ET SCHOLAE ... CHEMNICENSIS CONR.

LONGINV... ... Sect. III.
Μεγάλης ἀσκήσεως ... ἀμφισβήτησιν ...

LIPSIAE
APVD IO. CHR. ... LANGENHEMIVM.
... 1751.

VI

MAGNIFICO SV

IO. GOT

HERM

SVPREMI SENATV

A S S E

ORATORI SA

PRIN

PATRONO OP

D.

R O

VMMEREVEREN DO

TTFRIED

MANNO

TVS ECCLESIASTICI

S SORI

A CRO AVLICO

N CILI

TIMO MAXIMO

D. D.

VIR MAG... GNIFICE

SUMME RE... EVERENDE!

C... ut fit, VIR
literarum divin...
coniunctio, et ...
tudo, ut illae e...
restant ac vigeant, hae ...
ad verum hominum felicita...
mirandum sane est, inter ...
Doctores quosdam fuisse ...
ptos, ut et sibi ipsis persu...
suasum cuperent, quae doct...
corum pariter ac Latinorum...
tur, cum homini, religioni...
luftrato, esse noxiam, pest...
studio fugiendam. In num...
bonis literis inimicissimorum...
dignatiuncula quadam mire...
rorynnum? qui cum ab ine...
manae doctrinae elegantia ...

X

...IR MAGNIFICE...
...inarum et humanarum
affinitatis quasi necesse
ex harum cultura ...
autem sine illarum ...
itatem nihil conferant ...
ipsos veteris ecclesiae ...
eo opinionis errore ca-
...aderent, et aliis per-
...trina ex lectione Grae-
...um Scriptorum hauria-
...is Christianae luce col-
...tiferam, omnique adeo
...ero horum hominum.
...m, quis non cum in-
...tur ipsum fuisse ...
...unse fere aetate ...
...apeus quicquid ...
stante ...

stantissimorum vtriusque linguae Scriptorum esset penitus, feliciterque cognouisset, multaque exinde adiumenta ad Sacrarum literarum interpretationem abstulisset; ecstasi, nescio qua, impulsus repente, tanquam Epicuri Atomus de perpendiculari linea, de studiorum ratione deflexit, adeo vt, quam antea in deliciis habuerat doctrinam humanam, eam tanquam pestem aliquam exsecrandam putaret. Hic vero longe absum vt dubitem, quin TV, VIR MAGNIFICE, *qui nihil, nisi iniurias, obliuisci soles; memineris, istos literarum humanarum contemptores, vt aliquam suae siue ignorantiae, siue ignauiae defendendae speciem obtenderent, ad Constitutiones illas Apostolicas prouocasse, in earumque auctoritate libenter delituisse: Sed et illud, si quis alius,* TV *sane optime scis, istas Constitutiones Impostoris, nescio cuius, fraude Apostolis esse falso tributas, nullamque adeo fidem iis, auctoritatemque tribuendam. Neque vero est, vt multis rationibus ista contemptorum humanae doctrinae opinio, ab ignorantia profecta, ab ignauia autem propugnata, conuincatur et refellatur, cum antiquitatis ecclesiasticae memoria, grauissima sane in hac re testis, luculenter doceat, quo tempore humanae literae floruerint, eo diuinarum quoque culturam viguisse, contra ea autem Christianae religionis, atque adeo summae feli-*

citatis

bonis literis dedita ... de rebus
tas, a longo inde tempore
nis auctoritas iniuste pro...
... sollicite exp...
restituta et revocata, fe...
rapta Scripturae Sacrae
adeo, ut humanarum lite...
puriori doctrinae divina...
aperuisseque iure existimet
antiqua illa aetas (utinam
magnum istorum humana...
rum promentum tulit.
defuerunt Viri et ingen...
doctrinae abundantia, in
sacrarum literarum facul...
nerandi, verbo, HER...

X

...menta in illarum interp...
...collabefactata. A sexti...
...rum ignorantiae, et, qu...
...omnes sequi solet, super...
...Christianum quasi ob...
...quam misera fuit divi...
...quam deploranda for...
...eriles an aniles dica...
...urae Sacrae extiterunt!
...issimo illo seculo, ignor...
...ebris discussis, serena lux
...isque vita est reddita, non
...us divinus sentiendi liber...
...re impotentis domina...
...praescripta, omnium aut...
...petita, iustis vindiciis...
...ed sana etiam, et incorrupta
...ae interpretatio rediit,
...terarum instauratio viam
...ae reducendae muniisse,
...etur. Quamquam autem
...m non nostra quoque,
...ae doctrinae contempo...
...tamen tunc quoque non
...ii felicitate, et omnis
...nterpretationis denique
...tate conspiciendi et ve...
...MANNO similes, qui
et

3

et re ipsa edocti cognouerunt, et auctoritate sua ostenderunt, literas diuinas cum humanis artissimo esse, amicissimoque vinculo iungendas, et neminem, nisi ingenium, omnium fere literarum humanarum tanquam flumine inundatum, attulerit, in Scripturae Sacrae interpretatione satis feliciter posse versari. Horum Sapientum Virorum exemplum, vt quisque est de Sacris Literis bene merendi studiosissimus, puriorisque doctrinae tuendae cupidissimus, ita religiosissime nostris temporibus sequendum sibi putat, praesertim cum TV, VIR MAGNIFICE, cuius doctrinae, fidei, pietatique cum omnium, tum sacrarum inprimis literarum cura et tutela non magis sapienti consilio, quam felici euentu commissa est, grauissima auctoritate TVA doceas, quam arctissimo affinitatis quasi vinculo diuinarum, humanarumque literarum studium sit coniungendum. Hic vero amplissimum, eumque amoenissimum campum in laudes TVAS, non dicam diuinas, satis est dixisse TVAS, digrediendi aperiri mihi video, sed retinet me cum magnificus ille animus TVVS, quo laudanda facere mauis, quam laudari, tum meus pudor, et summae doctrinae TVAE debitus, et ex conscientia imbecillitatis meae profectus. Habent sane magnorum Virorum splendidae virtutes hoc, vt oratione vulgari non tam illustrentur, quam obscurentur,

inpri-

... TVARVM,
CE, ... quam
... TIBI ...
... MAGNIFI...
... TVO, et ...
... TVAS, ...
... praedicem, quam tacita ...
... TVARVM splendore iam ...
interpretem ad TE missi ...
... NOMINI MAG...
TVO. In quo si paullo ...
fuisse videar, forte me de...
quid huius culpae est, id ...
erga TE meae religioni ...
enim hic Commentarius me...
Atheniensium Decretum ...
dis rebus, cum ad diuinas, ...
spectantibus, TVO autem ...
praesidioque vtriusque doct...
tur, foueatur et alatur; re...

VIR MAGNIFI...
... comitatu venerabili ...
... ionem, venerationemque ...
... amplitudo est, ut que...
... is digne eas celebra...
... eas partes acturu...
... diuina facundia, de...
... structus. Quare dubi...
... ICE, et celso illi animo ...
... isto sane et pio, ut vir...
... splendor aciem mentis ...
... am orationis quasi voce ...
... animi obseruantia, pie...
... am. Huius meae in TE ...
... animique mei, virtutum ...
... dudum perculsi, quasi ...
... hoc Opusculum Flavii ...
... NIFICO inscriptum ...
... temerarior, audacior ...
... fendet hoc, quod, qui...
... omne officii, pietatis ...
... sit delegandum.
... eus ad nobilissimum ...
... occupatus sit in illustrand...
... tum humanas literas ...
... studio, auctoritate, ...
... rinae cultura sustente...
... futurum me esse ...
... tabam ... nu-
... am,

tabam, Personae TVAE debitam, si huius opusculi mei censuram, et quasi spectationem summo iudicio deferrem, submitteremque TVO. Magnopere mihi ipse gratulabor, si, quicquid est huius laboris, studiique mei, id TIBI non penitus displicuisse cognouero; in summa autem felicitatis meae ponam, si intellexero, meam erga TE pietatem TIBI probari: cuius colendae, dum viuam, tam studiosum me futurum esse sancta mente confirmo, vt a nullo eorum, qui in felicissimo illo clientum TVORVM choro censentur, superatus esse videar

VIR MAGNIFICE
SVMME REVERENDO NOMINI TVO

ADDICTVS DEDITVSQVE CLIENS
IOHANNES TOBIAS KREBS.



... ratio redditur.



A ... amplissimis ... ... finitis ... ... mos fuisse ... ... suorum con... ... parci, et ... vtrique ad ... honores non egregie meritis ... dos putarent: Cuius rei testim... DEMOSTHENES et [b]) PLV... dit, MILTIADI, ob sua in ... ἐπ' ... corona elegin... ... ... &
... menter fuisse aduersarium. ... oleagina in magno aliquo prec... tradit. Postea vero cum, re ip... facile re vehementius, actiosu... clara quaeque suscipienda facien...

a) In Orat. adu. Leptin. p. ... Ed. ...
b) In Vita Cimonis p. ... Ed. ...

... s temporibus in Atheniensium in... ...iterarum monumentis edocti, sci... ...de hoc, vt in virtutibus ciuium ...ondecorandis, remunerandisque ... quodammodo maligni essent. ... adeo, de vniuersa Republica ...on nisi raros, et tenues tribuen... ...monium cum multi alii, tum [c]) ...VTARCHVS praebet, qui era... ... rempublicam merita θαλλοῦ ...inam petenti, Sochares vehe... Scilicet tunc temporis corona ...tio erat, vt [d]) AESCHINES ...psa edocti, cognouissent, nulla ...e hominum animos ad prae... ...ri posse quam honestis hono... ...rum ...

...A 2

c) ...lf. Aeschin. contra Ctesiph. p. 300.
d) Contra Ctesiph. p. 301.

rum tanquam ſtimulis, vt praeclare obſeruat [d]) DEMOSTHENES; non ſolum liberaliores, ſed etiam pene effuſi in honoribus decernendis facti ſunt, adeo vt idem [e]) Orator grauiſſimus non honorifice magis, quam vere dixiſſe videatur, Athenienſium ciuitatem a nulla alia vnquam eſſe beneficientia ſuperatam. Neque enim legatis ſolum, ſuo munere rite perſunctis, ſed aliis etiam ciuibus, quorum opera egregium quoddam emolumentum in Rempublicam redundauerat, omne honoris genus tributum eſſe [f]) DEMOSTHENES docet, *παρ' ὑμῖν ςέφανοί τε καὶ ἀτέλειαι, καὶ σιτήσεις, καὶ τοιαῦτά ἐςιν, ὧν ἄν τις ἀνὴρ ἀγαθὸς ὢν τύχοι*, *Apud vos praeſtantibus viris praemia ſunt propoſita coronae, immunitates, victus in curia, et eius generis alia.* Neque vero haec Athenienſium liberalitas viros, vtilitati, ſalutique publicae conſulentes, hoc honoris genere augendi et remunerandi, his ſolum finibus cohiberi ſe, coercerique paſſa eſt, vt ciues tantum huius honoris participes facerent; ſed alienigenas etiam, quorum ſtudia in Rempublicam Athenienſium eminuerant, in eius quaſi ſocietatem recipiendos exiſtimabant. Cuius erga exteros liberalitatis etſi multa documenta extant, nullum tamen nobilius, illuſtriusue eſt eo decreto, quod factum eſt in honorem HYRCANI, Pontif. M. Iudaeorum, et quod nobis diligentia [g]) IOSEPHI, Hiſtorici vna omnium et conſentiente elegantum in his rebus iudicum voce, grauiſſimi et maximi, literarum monumentis conſignatum reliquit. In quo Decreto emendando, commentationisque luce illuſtrando temporis aliquid, ſtudiique collocauimus, rati

d) In Leptin. p. 362.

e) In Leptin. p. 379.

f) In Leptinem p. 375.

g) Lib. XIV. Ἀρχαιολογ. c. 16.

rati, nos ſuſcepturos eſſe rem, neque a ſtudiorum noſtrorum, munerisque nobis impoſiti, ratione ſeiunctam, neque forte harum literarum ſtudioſis inutilem. Ipſius enim Decreti huius ea eſt dignitas, vt fieri vix poſſit, quin vnusquisque, paullo humanior, eius cognitione mirifice capiatur; in multis autem eius intellectus tam difficilis eſt, vt, niſi obſcuritatis tenebrae, luce interpretationis cum ex Antiquitatum graecarum cognitione, tum ipſius linguae ratione illata, diſcutiantur et depellantur, paucos in legendo eo, intelligendoque feliciter verſaturos eſſe exiſtimemus. Quare cum multorum intereſſe arbitraremur, nobiliſſimum hoc Antiquitatis monumentum, a barbariei, ignorantiaeque gurgite non abſorptum, cognoſcere, non omnium autem eam cognitionem cum graecae linguae, tum rerum ipſarum eſſe putaremus, vt intelligere id poſſint; non verendum nobis videbatur, ne conſilium noſtrum in multas multorum voculas, reprehenſionesque incurreret, ſi hoc Decretum, a nemine, quantum quidem ſciamus, illuſtratum, pro ingenii noſtri, doctrinaeque copiolis aliqua interpretationis luce colluſtraremus, eruditorumque iudicio ſpectandum ſubmitteremus. Acceſſit et alia ratio, eaque paullo grauior, quae nos commouit, vt huic Decreto emendando, illuſtrando, et in adſpectum eruditorum emittendo animum adiiceremus. Scilicet multa in eo occurrunt, inprimis Magiſtratuum nomina, quorum cognitio, paullo accuratior, multis N. T. locis, non ſatis claris, non parum lucis affundere poteſt. Cum autem ex aliquot inde annis toti fuerimus in ſcribenda Critica Wolfiana ſ. Animaduerſionibus in WOLFII, τȣ̃ νῦν ἐν ἁγίοις, Curas Philologico-Criticas N. T. elaborandis, adeo vt quicquid temporis ceteris negotiis, pro muneris noſtri religione

obeundis, surripere potuimus, id omni huic labori impenderimus, facile autem intelligamus, huius suscepti operis nostri ambitum esse ampliorem, quam qui exigui et studii et temporis terminis circumscribi a nobis, comprehendique possit, opusque adeo illud tardius, quam pro spe, opinioneque nostra, in lucem proditurum sit; consilium cepimus, interim commoda hac occasione vnum et item alterum nostri laboris specimen exhibere, vt ex iis Lectores Humanissimi de toto consilio, quod in Animaduersionibus illis scribendis sequimur, quodammodo possint iudicare. Neque enim eo animo illas Animaduersiones Historico-Philologico-Criticas, scribere aggressi sumus, vt de WOLFII, Viri de literis cum in vniuersum omnibus, tum sacris inprimis, immortaliter meriti fama, maxima illa quidem, honestis tamen artibus parta, delibatum aliquid, detractumque velimus, vt forte ieiuni quidam, et maligni interpretes consilii nostri calumnientur; sed, vt illas Curas Philologicas, aureum sane opus, et vix ab vllo alio, quam a Wolfio sperandum, iuuentuti, harum literarum studiosae paullo vtiliores reddamus, adeo vt, si quid in iis desit, aut scriptorum, quae post WOLFII obitum prodierunt, aut nostra etiam ingenii, doctrinaeque qualicunque ope suppleamus, quod minus recte, accurateque dictum videatur, modeste, et sine vlla verborum contumelia, emendemus, quod denique non satis clare confirmatum est, luculentissimis rationibus stabilire studeamus. Hoc est consilium nostrum, quod in toto illo opere sequemur: hic animus, quo ad Philologicas illas Curas Wolfii, τοῦ πάνυ, vel augendas, vel emendandas accessimus. Sed age ipsum Decretum nostrum exhibeamus, et primum quidem ex Edit. Coloniae An. MDCXCI. (nam Hauercampiana hic parum, aut nihil, ab illa discrepat)

Latina interpretatione GELENII adiuncta. Cum autem et Decretum ipſum non minus in ſingulis vocibus, quam interpungendi ratione tam miſere ſaepe corruptum ſit, vt nullum, certe non niſi ineptiſſimum ſenſum inde elicere poſſis, interpretatio autem latina in multis tam inſiceta et inſulſa deprehendatur, vt, quid hoc Decretum ſibi velit, ne hariolando quidem aſſequi poſſis; ſubiungemus poſtea idem Decretum, vt nos emendandum, interpungendum, latineque reddendum putabamus: cuius emendationis, interpunctionis, interpretationisque noſtrae latinae rationem in Commentario reddemus. Ceterum Lectores Humaniſſimos quam humaniſſime rogatos volumus, vt, cum interdum digreſſiones, paullo longiores, a nobis factas, diſputatiunculamque quorundam locorum v. c. *Archontum*, *Prytanum*, *Strategorum*, *Epiſtatarum* et *Proedrorum* paullo altius repetitam viderint, eius rei gratiam nobis faciant, veniamque concedant. Neque id fecimus, vana quadam, et putida obſcurae diligentiae, variaeque doctrinae oſtentatione allecti, ſed honeſto conſilio, multorum legentium rationibus conſulendi, commoti. Nam cum facile praeuideremus, fore, vt haec Commentatio noſtra in manus quoque iuuentutis, graecarum literarum ſtudioſae, perueniret, eam autem ab harum rerum cognitione non ita inſtructam putaremus, vt hanc diſputationem noſtram, ex Antiquitatibus Atticis petitam, eamque paullo reconditiorem intelligendo aſſequi poſſit, niſi quaedam res paullo fuſius, dilucidiusue illuſtrarentur; facile perſuaderi nobis patiebamur, vt conſtitueremus, iuuenum inprimis ſtudio, commoditatique legendi hac ratione ſuccurrere. Quare ſi laſciuiſſe, luxuriaſſeque interdum in digreſſionibus faciendis cuiquam videamur; certiſſima nos, iucundiſſimaque ſpes tenet, fore vt laudabili conſilio, et ex re, vtilitateque iuuenum peccaſſe exiſtimemur.

DECRETVM ATHENIENSIVM

Ἐπὶ πρυτανέως καὶ ἱερέως διονυσίου τοῦ ἀσκληπιάδου μηνὸς πανέμου πέμπτη ἀπιόντος, ἐπεδόθη τοῖς στρατηγοῖς ψήφισμα ἀθηναίων, ἐπὶ ἀγαθοκλέους ἄρχοντος. ἐυκλῆς μενάνδρου ἀλιμούσιος ἐγραμμάτευε μουνιχιόνος ἐνδεκάτη τῆς πρυτανείας, ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ θεάτρῳ τῶν προέδρων. ἐπεψήφισε δωρόθεος ἀρχιερεὺς καὶ οἱ συμπρόεδροι τῷ δήμῳ. διονύσιος διονυσίου ἔιπεν, ἐπειδὴ ὑρκανὸς ἀλεξάνδρου ἀρχιερεὺς καὶ ἐθνάρχης τῶν Ἰουδαίων διατελεῖ κοινῆ τε τῷ δήμῳ καὶ ἰδίᾳ τῶν πολιτῶν ἑκάστῳ ἐυνοῶν, καὶ πάσῃ χρώμενος περὶ αὐτοὺς σπουδῆ, καὶ τοὺς παραγενομένους ἀθηναίων, ἢ κατὰ πρεσβείαν, ἢ κατ᾽ ἰδίαν πρόφασιν ὡς αὐτὸν ὑποδέχεται φιλοφρόνως, καὶ προπέμπει τῆς ἀσφαλοῦς αὐτῶν ἐπανόδου προνοούμενος, ἐμαρτυρήθη μὲν καὶ πρότερον περὶ τούτων. δέδοκται δὲ καὶ νῦν θεοδοσίου τοῦ θεοδώρου σουνιέως εἰσηγησαμένου καὶ περὶ τῆς ἀνδρὸς ἀρετῆς ὑπομνήσαντος τὸν δῆμον, καὶ ὅτι προαίρεσιν ἔχει ποιεῖν ἡμᾶς ὅτι ποτ᾽ ἂν δύναται ἀγαθὸν, τι-

INTERPRETATIO LATINA GELENII.

Sub iudice et ſacerdote Dionyſio Aſclepiadis, panemi menſis luna vigeſima, oblatum eſt ducibus decretum Athenienſium, Agathocle principe: de quo Eucles Menandri Alimuſius ſcriba retulit Munychionis vndecimo, concilio iudicum facto in theatro: ſuffragia collegit Dorotheus ſummus ſacerdos, et aſſeſſores ex populo. Dionyſius Dionyſii dixit: Quoniam Hyrcanus Alexandri pontifex Iudaeorum ac ethnarcha perpetua tam publice quam priuatim ciues noſtros beneuolentia proſequitur, nullam benemerendi occaſionem praetermittens: et quotquot Athenienſium vel propter legationes, vel propter priuata negotia illuc deueniunt, acceptos comiter, deducendos etiam curat in reditu, idque multorum conſtat teſtimoniis: viſum eſt nunc, Theodoſio Theodori referente, et populum de huius viri virtute commonefaciente, quam propenſus ſit ad bene merendum de noſtris ciuibus, honora-

μῆσαι τὸν ἄνδρα χρυσῷ ϛεφάνῳ ἀριϛείῳ κατὰ τὸν νόμον, καὶ ϛῆσαι αὐτȣ̃ εἰκόνα χαλκῆν ἐν τῷ τεμένει τȣ̃ δήμȣ καὶ τῶν χαρίτων, ἀνειπεῖν δὲ τὸν ϛέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ, διονυσίοις τραγῳδῶν τῶν καινῶν ἀγομένων, καὶ παναθηναίων καὶ ἐλευσινίων, καὶ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν. ἐπιμεληθῆναι δὲ τȣ̀ς ϛρατηγȣ̀ς διαμένοντί τε αὐτῷ, καὶ διαφυλάσσοντι τὴν πρὸς ἡμᾶς εὔνοιαν, εἶναι πᾶν ὅτι ἂν ἐπινοήσωμεν εἰς τιμὴν, καὶ χάριν τῆς ἀνδρὸς σπȣδῆς καὶ φιλοτιμίας, ἵνα τȣ́των γενομένων φαίνηται ὁ δῆμος ἡμῶν ἀποδεχόμενος τȣ̀ς ἀγαθȣ̀ς, καὶ τῆς προσηκȣ́σης ἀμοιβῆς ἀξιῶν, καὶ ζηλώσῃ τὴν περὶ ἡμᾶς σπȣδὴν ἐκ τῶν ἤδη τετιμημένων. ἑλέσθαι δὲ καὶ πρέσβεις ἐξ ἁπάντων ἀθηναίων, οἵτινές τε αὐτῷ κομιȣ̃σι τὸ ψήφισμα, καὶ παρακαλέσȣσι τὸν προσδεξάμενον τὰς τιμὰς πειρᾶσθαί τι ποιεῖν ἀγαθὸν ἡμῶν τὴν πόλιν.

re hunc virum virtutis ergo corona aurea iuxta legem, ponere ei effigiem auream in templo Demi et Charitum: et praeconis voce promulgari eam coronam in theatro Liberalibus, dum nouae tragoediae aguntur, et Panathenaeis et Eleusiniis, et in gymnicis certaminibus. curaeque esse nostris ducibus, vt dum ille in amicitia nostra perseuerat, vt, quicquid in honorem eius et gratiam pro fauore et meritis excogitauerimus, exequantur sedulo, quo perspicua sit omnibus populi nostri erga bonos viros gratitudo ac beneuolentia, et huiusmodi honoribus plures ad benemerendum de nobis inuitentur. Eligi etiam legatos idoneos ex omni Atheniensium numero, qui ad illum hoc decretum perferant, hortenturque, vt, acceptis his honoribus, certet nobiscum beneficiis.

IDEM

EX NOSTRA EMENDATIONE INTERPVNCTIONE

Ἐπὶ πρυτανέως καὶ ἱερέως Διονυσίȣ τȣ̃ Ἀσκληπιάδȣ, μηνὸς Πανέμȣ πέμπτῃ ἀπιόντος, ἀπεδόθη τοῖς ςρατηγοῖς ψήφισμα Ἀθηναίων. Ἐπὶ Ἀγαθοκλέȣς ἄρχοντος Εὐκλῆς Μενάνδρȣ Ἀλιμȣ́σιος ἐγραμμάτευε, Μȣνιχιῶνος ἑνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας, ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ θεάτρῳ, τῶν προέδρων ἐπεψήφισε Δωρόθεος Ἐρχιεὺς καὶ οἱ συμπρόεδροι τῷ δήμῳ, Διονύσιος Διονυσίȣ εἶπεν. Ἐπειδὴ Ὑρκανὸς Ἀλεξάνδρȣ ἀρχιερεὺς καὶ ἐθνάρχης τῶν Ἰȣδαίων διατελεῖ κοινῇ τε τῷ δήμῳ, καὶ ἰδίᾳ τῶν πολιτῶν ἑκάςῳ εὔνοων, καὶ πάσῃ χρώμενος περὶ αὐτȣ̀ς σπȣδῇ, καὶ τȣ̀ς παραγενομένȣς Ἀθηναίων ἢ κατὰ πρεσβείαν, ἢ κατ' ἰδίαν πρόφασιν ὡς αὐτὸν ὑποδέχεται φιλοφρόνως, καὶ προπέμπει, τῆς ἀσφαλȣ̃ς αὐτῶν ἐπανόδȣ προνοȣ́μενος (ἐμαρτυρήθη μὲν καὶ πρότερον περὶ τȣ́των, καὶ νῦν Θεοδοσίȣ τȣ̃ Θεοδώρȣ Σȣνιέως εἰσηγησαμένȣ καὶ περὶ τῆς ἀνδρὸς ἀρετῆς ὑπομνήσαντος

τὸν

DECRETVM.

ET INTERPRETATIONE LATINA.

Prytane et Sacerdote Dionyſio Aſclepiadis *filio*, menſis Panemi deſinentis quinto *die*, delatum eſt ad ſtrategos Decretum Athenienſium. Archonte Agatholce, Eucles Menandri *filius* Alimuſius ſcribae munere fungebatur, Munychionis *menſis* vndecimo die Prytaniae, concione habita in theatro, ex Proedris populo ſuffragii ferendi poteſtatem fecit Dorotheus Erchienſis, et reliqui Proedri, Dionyſius Dionyſii *filius* retulit: Quoniam Hyrcanus Alexandri *filius*, Pontifex Iudaeorum et Ethnarcha, perpetuo cum publice in vniuerſum populum, tum priuatim erga ſingulos ciues beneuolus eſt, omnique ſtudio eos proſequitur, et qui *eo* veniunt Athenienſes aut legationis, aut ſuorum negotiorum cauſa, eos humaniter apud ſe hoſpitio excipit, et deducit, ſaluo et incolumi eorum reditui proſpiciens (harum rerum cauſa et antea laudem conſecutus eſt, et nunc Theodoſio Theodori *filio* Sunieo mentionem fa-

τὸν δῆμον, καὶ ὅτι προαίρεσιν ἔχει ποιεῖν ἡμᾶς ὅ, τι ποτ᾽ ἂν δύνηται ἀγαθὸν:) δεδόχθαι τιμῆσαι τὸν ἄνδρα χρυσῷ ςεφάνῳ, ἀριςείῳ κατὰ τὸν νόμον, καὶ ςῆσαι αὐτȣ͂ εἰκόνα χαλκῆν ἐν τῷ τεμένει τȣ͂ Δήμȣ καὶ τῶν Χαρίτων, ἀνειπεῖν δὲ τὸν ςέφανον ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις, τραγῳδῶν τῶν καινῶν ἀγομένων, καὶ Παναθηναίοις καὶ Ἐλευσινίοις, καὶ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν· ἐπιμεληθῆναι δὲ τȣ̀ς ςρατηγȣ̀ς διαμένοντί τε αὐτῷ, καὶ διαφυλάσσοντι τὴν πρὸς ἡμᾶς εὔνοιαν, εἶναι πᾶν ὅ, τι ἂν ἐπινοήσωμεν εἰς τιμὴν, καὶ χάριν τῆς ἀνδρὸς σπȣδῆς καὶ φιλοτιμίας· ἵνα τȣ́των γενομένων φαίνηται ὁ δῆμος ἡμῶν ἀποδεχόμενος τȣ̀ς ἀγαθȣ̀ς, καὶ τῆς προσηκȣ́σης ἀμοιϐῆς ἀξιῶν, καὶ ζηλώσῃ τὴν περὶ ἡμᾶς σπȣδὴν ἐκ τῶν ἤδη τετιμημένων, ἑλέσθαι δὲ καὶ πρέσϐεις ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων, οἵτινές τε αὐτῷ κομιȣ͂σι τὸ ψήφισμα, καὶ παρακαλέσȣσι προσδεξάμενον τὰς τιμὰς πειρᾶσθαί τι ποιεῖν ἀγαθὸν ἡμῶν τὴν πόλιν.

COM-

ciente, et de eius beneficiis populum commonefaciente, et de voluntate et ſtudio benefaciendi nobis, quocunque modo poſſit:) placuit, honorare Virum corona aurea, praemio virtutis legitimo, eiusque ſtatuam aeream ponere in templo Demi et Charitum, pronunciare autem *praeconis voce* coronam ſ. coronae donationem in theatro Dionyſiis, cum tragoediae nouae aguntur, et Panathenaeis et Eleuſiniis, et in certaminibus gymnicis: curae autem eſſe ſtrategis, vt ei, perſeueranti, et ſeruanti ſuam erga nos beneuolentiam, omnia obtingant, quaecunque excogitare poſſimus in honorem et remunerationem ſtudii eius et liberalitatis: vt, his factis, appareat, noſtrum populum grato eſſe animo erga bene meritos, eosque debita remuneratione ornare, et is imitetur noſtram liberalitatem, ob honores, *ipſi* a nobis tributos; praeterea etiam legatos ex omnibus Athenienſibus eligi, qui et Decretum ei perferant, et cohortentur, vt, honores *a nobis* conſecutus ſtudeat ciuitati noſtrae benefacere.

COM-

COMMENTARIVS
HISTORICVS GRAMMATICVS CRITICVS.



Ἐπὶ πρυτανέως καὶ ἱερέως Διονυσίου) More receptum erat apud Athenienses, vt ψηφίσμασι s. Decretis nomen non solum Ἄρχοντος ἐπωνύμου, ipso mensis die adnotato, sed etiam ipsius Tribus πρυτανευούσης h. e. illius, quae tunc in senatu, Populoque praesidebat, nec non illius, in cuius sententiam et relationem Decretum factum erat, quin ipsius scribae praefigeretur: factum est hoc eo consilio vt et illius Decreti auctoritatem indicarent, et tempus, quo factum esset, certa aliqua, et nunquam fallaci nota insignirent. Quod ex multis Decretis, quae nobis temporis iniuria non inuidit, dilucide intelligitur, et dilucidius appareret, si CRATERI liber, PLVTARCHO, [a]) HARPOCRATIONI [b]) et POLLVCI [c]) laudatus, in quo omnia Atheniensium Psephismata summo studio collegerat, adhuc superstes esset. Romani, vt in multis aliis, ita et in hoc Atheniensium morem secuti videntur, quod SCtis nomina Consulum, annum designantium, mensis, loci, vbi facta erant, eorum denique, qui scribendo adfuerant, nomina adderent: Cuius rei testimonia multa cum in CICERONE, tum in Decretis Romanis et Asiaticis, quae pro Iudaeis facta sunt, a IOSEPHO [d]) seruatis, a IAC. GRONOVIO autem illustratis, et seorsim editis, inueniuntur. Idem quoque fidei, probationisque pignus praebet hoc Decretum, in quo non solum annus, per ἄρχοντα ἐπώνυμον indicatus, illiusque mensis, et huius dies, sed nomen quoque *Prytanis*, *Epistatae*, *Scribae*, quin illius, in cuius sententiam Decretum factum est, diserte indicatur. Hic vero nos remorantur, et ad caetera festinantibus nobis laciniam trahunt verba Ἐπὶ πρυτανέως καὶ ἱερέως Διονυσίου. Cum enim constet, diuersa fere munera Athenis fuisse *Prytaneatum* et *Sacerdotium*; non inepte quis quaerat, quomodo igitur Dionysius πρύτανις et ἱερεύς? quam dubitationem etsi mallemus alios nobis soluere, quam aliis eximere; non poenitebit tamen, quid nobis de ea re videatur, proferre, acutioribusque diiudicandum permittere. Sed disputationem de *Pryta-*

a) In Cimon. p. 890. Edit. Steph.
b) In voc. νύμφαιον.
c) Lib. VIII. c. 10.
d) Lib XIV. Ἀρχαιολογ. c. 16 et 17.

Prytanibus paullo altius repetendam putamus, vt, difficultatum quasi impedimentis remotis, facilius progredi, feliciusque rem inuestigandam inuenire possimus. In quo quidem suscepturos nos esse putamus rem, adolescentibus erudiendis vtilem, viris autem doctis non iniucundam: praesertim cum, quae in sequentibus de *Epistata*, *Proedrisque* disputabuntur, nisi Senatus Prytanumque ratione cognita, satis intelligi non possint. Iam primum satis constat, *Prytanes* fuisse quinquaginta illos Senatores, decimamque adeo partem Senatus, qui *Prytaniae* munus obirent, Senatuique praesiderent, eosque non tam sacris, quam ciuilibus negotiis peragendis constitutos. Scilicet sublatis Regibus, Archontibusque perpetuis abrogatis, Respublica Atheniensium ita constituta est, vt popularis imperii forma introduceretur, idque imperium penes populum esset. Itaque vniuersi ciues in Tribus, tanquam Classes, distributi, popularis huius imperii participes erant, adeo vt quaelibet Tribuum constanti quodam, nec perturbato ordine populi conuentibus, concionibusque praeesset, et in legibus ferendis, abrogandisque, caeterisque rebus omnibus publicis administrandis omnia suffragiis Tribuum committerentur. Et Solonis quidem temporibus non nisi *quatuor* Tribus erant, suis quaeque nominibus insignitae, vt est apud PLVTARCHVM, [e]) quamquam subinde variis nominibus indicantur: postea vero anno 3 Olympiadis LXVII a Clisthene, seu, vt alii tradunt, Alcmaeone, Tribuum numerus ita auctus est, vt decem essent, adeo vt quaelibet earum, quoniam ciuilis Atticus annus lunaris erat, ac 354 diebus constabat, dies 36 vel 35 praesideret. Denique anno 3 Olympiadis CXVIII duae nouae Tribus additae sunt, *Antigonis* et *Demetrias* appellatae: quo facto, vna quaeque earum vno tantum mense praesidebat, singulaeque adeo *Prytaniae* 30 vel 29 dies complectebantur: sed in harum duarum Tribuum locum postea successere Tribus *Attalis* et *Ptolemaeis*, vt POLLVX [f]) et DODWELLVS [g]) existimant. Quae denique accessit decima tertia Tribus, *Hadrianis* dicta, ea hoc loco non vtimur. Pro diuerso igitur Tribuum numero, ipse quoque Senatus, cuius praesides *Prytanes* erant, nunc paucioribus, nunc pluribus ciuibus constabat. Et initio quidem hic Atheniensis Senatus, ab Areopagitico semper distinguendus,

e) In Solon. p. 172.
f) Lib. VIII. c. 9. sect. 109. 110.
g) De Cyclis Diss. III. sect. 40.

guendus, *Quadringentis* solum ciuibus compositus erat. Solon enim ex Tribubus singulis, quas illius tempore *quatuor* esse diximus, *centenos elegit*, qui Senatoris munera obirent, vt auctor est PLVTARCHVS: [h]) Postea vero cum ex instituto CLISTHENIS numerus Tribuum ita creuisset, vt *decem* essent, ex qualibet Tribu non nisi *quinquageni* eligebantur, vt adeo vniuersus Senatus *Quingentis* constaret: vnde saepe in Graecorum monumentis occurrit *ἡ βουλὴ τῶν πεντακοσίων Senatus Quingentorum*, et *πεντακόσιοι κυάμῳ λαχόντες Quingenti sortito electi.* Cum denique duae Tribus additae sunt, ipse quoque Senatus ad *sexcentorum* numerum auctus est, qui ex XII Tribubus electi Senatum constituebant, vt tradit PLVTARCHVS. [i]) Senatus *sexcentorum* mentio quoque fit in veteri inscriptione, a Cyriaco quondam Athenis descripta, quam ex MVRATORIO exhibuit CORSINVS: [k]) ἡ βουλὴ ἐξ ἀρειοπάγου, καὶ ἡ βουλὴ τῶν Ἑξακοσίων, καὶ ὁ δῆμος Τιβέριον Κλαύδιον Νούνιον υἱὸν - - ἀρχιερέα Ἀντωνίας Σεβάστης, *Areopagi Senatus, et Senatus Sexcentorum, et Populus Tiberium Claudium Nunium Philini filium Pontificem maximum Antoniae Augustae.* Iam vero ex singulis Tribubus, quo tempore v. c. X erant, *quinquaginta* ciues, sorte designati, in Senatum adscribebantur, qui integrum annum munera Senatoria obibant. Cum vero vnaquaeque X Tribuum non toto anno, sed decima tantum eius parte, atque adeo aequali temporis spatio vniuerso Senatui praeesse deberet, iterum sortis arbitrio permittebatur, quaenam ex X Tribubus *primo* loco, quae *secundo*, et sic deinceps, Senatui praesideret: et quoniam Atticus annus ciuilis, quippe lunaris, 354 dierum spatio finiebatur, *Prytaniae* s. Tribus praesidentis tempus 36 vel 35 dierum spatio circumscribebatur. Quinquaginta illi senatores eiusdem Tribus, qui *Prytaniae* munere fungebantur, *Prytanes* vocabantur. Horum *Prytanum* munera erant, Senatum quotidie cogere, nisi forte dies sacer aut nefastus incideret, vt auctor est POLLVX, [l]) resque in Senatu gerendas moderari, ἐκκλησίας h. e. conciones populi indicere, si extra ordinem habendae erant, aut si κυρίαι h. e. *statutae* erant, eas dirigere. Cum autem haec munera a quinquaginta *Prytanibus* iunctis non satis feliciter peragi posse viderentur, hi quinquaginta

h) In Solon. p. 161.
i) In Demetr. p. 1637.
k) In Fast. Attic. Diss. VI. p. 262.
l) Lib. VIII. c. 9. sect. 95. conf. POTTER. Archaeol. Graeca Lib. I. c. 18.

ta Prytanes in *quinque* alias minores classes s. Decurias separabantur, quarum quaelibet *decem Prytanes* complecteretur, singulaeque adeo Decuriae *septem* dierum spatio praesiderent. Et hi quidem erant *Prytanes* Athenis, haec eorum dignitas et munera. Neque vero Athenis solum, sed in aliis quoque Graeciae vrbibus Prytanes fuisse reperimus, quamquam hi ab illis in eo diuersi erant, vt eorum potestas summa, imperiumque fere annuum esset. LIVIVS,[m]) de Hegesilocho loquens, *qui cum in summo Magistratu esset, PRYTANIN ipsi* Rhodii *vocant*. Corinthios quoque, eiectis Regibus, summos sibi Magistratus constituisse *Prytanes*, auctor est PAVSANIAS.[n]) In multis aliis Graeciae vrbibus hos *Prytanes* fuisse, vel illa πρυτανεῖα, quorum creberrima apud Veteres mentio, satis docent: quod dudum vidit magnus ille CASAVBONVS,[o]) *Atqui Tarentinos*, inquit, *suum Prytaneum habuisse, in eoque* πῦρ ἄσβεστον *seruasse, testis historia, quae hic narratur. Habuerunt et Corinthii, Rhodii, Milesii, Tenedii, Argiui, Syphnii, Thasii*. Plura in hanc rem dabunt SPANHEMIVS [p]) et VAN DALEN,[q]) viri in hoc litterarum genere summi. In his autem ciuitatibus interdum plures *Prytanes* fuerunt, quorum qui princeps, et ἐπώνυμος erat, πρῶτος πρύτανις dicebatur, reliqui vero, veluti eius Adsessores, οἱ περὶ πρύτανιν appellabantur, quod cum ex Marmoribus, tum aliis Antiquitatis monumentis luculentissime docuerunt vterque Vir doctissimus, modo laudatus. Hi *Prytanes* quoniam summum imperium in ciuitatibus obtinebant, factum est, vt πρύτανις *Rectorem, Moderatorem* denotet, vt PHILO [r]) Caligulam Imperatorem nominat τὸν πρύτανιν τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων *moderatorem rerum humanarum*, ipsumque verbum πρυτανεύειν pro *constituere, decernere* vsurpetur, vt apud ARISTOPHANEM,[s]) περὶ εἰρήνης πρυτανεύειν, et apud DEMOSTHENEM, [t]) πρυτανεῦσαι de eo, *qui alicuius rei dux et auctor est*. Sed ad *Prytanes* Atheniensium redeundum est, quos cum ostenderimus rebus ciuilibus peragendis fuisse constitutos; illa dubitatio tollenda est, quo modo Dionysius, qui in hoc Decreto πρυτανέως, atque adeo

 ciui-

m) Lib. XLII. c. 45.
n) In Corinthiac.
o) Animadu. in Athenaeum Lib. XV. c. 19.
p) De Vsu et Praest. Numism. T. I. Diss. IX. p. 700. seq.
q) Dissertatt. ad Antiquitatt. et Marmora p. 390. seq.
r) In Flaccum p. 982.
s) Acharn. v. 60. cf. Schol. ad Thesmophor. v. 661.
t) De Rhod. Libert. p. 78.

ciuilis magistratus nomine insignitur, ἱερεὺς quoque dicatur. Scilicet cum πρυτανέως muneribus colligatum fuisse existimo sacerdotium, curamue sacrorum, non quidem quorumuis, ita vt huius vel illius Dei, Deaeue consecratus et perpetuus sacerdos fuerit; sed eorum tantum, praecipue certe, quae Deae Vestae facienda erant. Fuisse autem sacra quaedam non ordinariis sacerdotibus, sed aliis reipublicae viris principibus iniuncta, eius rei testis luculentus est ARISTOTELIS[u]) locus, Ἐχομένη δὲ ταύτης ἡ πρὸς τὰς θυσίας ἀφωρισμένη τὰς κοινὰς πάσας, ὅσας μὴ τοῖς ἱερεῦσι ἀποδίδωσιν ὁ νόμος, ἀλλ' ἀπὸ τῆς κοινῆς ἑστίας ἔχουσι τὴν τιμήν. καλοῦσι δὲ οἱ μὲν ἄρχοντας τούτους, οἱ δὲ βασιλεῖς, οἱ δὲ πρυτανεῖς, *Huic proxima est ea curatio, quae ad omnia publica sacrificia excepta est, ea scilicet, quae lex sacerdotibus non permittit, sed iis, qui hunc honorem habent a totius ciuitatis foco. Vocant autem hos alii Archontes, alii Reges sacrorum, alii PRYTANES.* Confirmat idem sacrum munus *Prytanum* locus THEOPHRASTI,[x]) huic rei accommodatissimus, vbi de homine, inepte ambitioso, ita: Ἀμέλει δὲ καὶ συνδιοικήσασθαι παρὰ τῶν πρυτάνεων, ὅπως ἀπαγγείλῃ τῷ δήμῳ τὰ ἱερά· καὶ παρασκευασάμενος λαμπρὸν ἱμάτιον, καὶ ἐστεφανωμένος παρελθὼν εἰπεῖν; Ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ἐθύομεν οἱ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ τὰ ἱερὰ τῇ μητρὶ τῶν Θεῶν ἄξια καὶ καλά, καὶ ὑμεῖς δέχεσθαι τὰ ἀγαθά: *Sane etiam quae pertinent ad curam Prytanum ipse diligenter curare solet, quo possit, vbi litatum fuerit, rem populo renunciare. Itaque candidatus s. veste candida indutus et coronatus in concionem prodit, et infit: NOS PRYTANES, O Athenienses, Matri Deum (Vestae) sacra rite fecimus, et litauimus: vos igitur omnia fausta exspectate.* Faciunt huc quoque illa DEMOSTHENIS,[y]) Ἐγὼ δ' οἶδ' ὅτι πάντες οἱ πρυτάνεις θύουσιν ἑκάστοτε κοινῇ καὶ συνδειπνοῦσιν ἀλλήλοις, *Ego autem scio, omnes Prytanes semper vna sacrificare, et vna comedere*, et paulo post, καὶ ἡ βουλὴ τὰ αὐτὰ ταῦτα εἰσιτήρια ἔθυσε συνειστιάθη, ad haec verba vltima VLPIANVS, προσηγεῖται εἰσιούσης τῆς βουλῆς, ὁ τὰς θυσίας ποιούμενος. Haec sacrificia autem quin in *Prytaneo*, atque adeo Deae Vestae oblata fuerint vix est vt dubitemus, cum addatur, *Prytanes* vna cibum capere; quod quidem in *Prytaneo* factum esse et aliunde scimus, et SCHOLIASTES THVCYDIDIS[z]) diserte tradit, πρυτανεῖον ἐστιν οἶκος μέγας,

u) Lib. VI. Politic. c. 8.

x) In Character. περὶ μικροφιλοτιμίας sub fin.

y) De falsa Legat. p. 224.

z) Ad Lib. II. c. 15.

γας, ἔνθα αἱ σιτήσεις ἐδίδοντο τοῖς πολιτευομένοις. ἐκαλεῖτο δὲ ὕτως, ἐπειδὴ ἐκεῖ ἐκάθηντο οἱ πρυτάνεις, οἱ τῶν ὅλων διοικηταί. Eodem autem loco ſacra feciſſe *Prytanes*, veterum monumentis docemur. PAVSANIAS [a]) τȢ βȢλευτηρίȢ τῶν πεντακοσίων πλησίον Θόλος ἐςὶ καλȢμένη, καὶ θύȢσι τε ἐνταῦθα πρυτάνεις, *Prope curiam quingentorum eſt Tholus, vbi Prytanes ſacrificant:* Θόλον autem a *Prytaneo* non fuiſſe diuerſum, non ſolum ex eo colligas, quod, cum alii Auctores dicant, Prytanes vna cibum cepiſſe in *Prytaneo*, POLLVX [b]) factum id tradat in *Tholo*, loco vocibus ὁμωνύμοις deſignato; ſed SVIDAE [c]) etiam auctoritate confirmatur, qui ſcribit πρυτανεῖον, θεσμοθέτιον, θόλος, cf. pluribus in hanc rem diſputantem DALENIVM [d]) Neque vero mirum videri debet, cum *Prytanum* negotiis aliis etiam ſacrificandi munus coniunctum fuiſſe, cum nihil conuenientius videatur quam hoc, vt qui Senatui et populo praeſiderent, ii ſacra quoque pro iis facerent: hoc autem ſacrum munus tam diu obtinebant, quamdiu πρυτανείας munere fungebantur. Haec ad illuſtrationem verborum ἐπὶ πρυτανέως καὶ ἱερέως ΔιονυσίȢ attulimus, ex quibus intelligetur, Interpretem Latinum vocem πρυτανέως minus accurate per *iudicem* reddidiſſe. Caeterum moris fuiſſe nomina quoque ſacerdotum Decretis inſcribere, annosque eorum nominibus notare; docet illuſtris SPANHEMIVS, [e]) etſi aliter ſentire ſcio DODWELLVM, de Cyclis veter. Diſſert. II, ſ. 14, p. 82.

Ἀπεδόθη τοῖς ςρατηγοῖς ψήφισμα Ἀθηναίων.) Pro ἐπεδόθη, quod eſt in editionibus, lego ἀπεδόθη, vt me quoque legendum eſſe per litteras monuit Celeberr. ERNESTI, quod reſpondet Latinorum *deferri*, quae vox in hac re propria et ſolennis eſt. Saepe ſcilicet cum in aliis Praepoſitionibus, Verbo iunctis, tum in hac ipſa, pro ἀπὸ poſita, peccatum eſt. Sic in Decretis Aſiaticis et Romanis pro Iudaeis IAC. GRONOVIO [f]) ex Ioſepho collectis, legitur ἐπέδωκεν ἡμῖν τὴν παρά σȢ ἐπιςολήν, vbi omnino ſcribendum ἀπέδωκεν; ſequitur enim, paucis interiectis, τήν τε ἐπιςολὴν τὴν ἀποδοθεῖσαν ἐδεξάμεθα, et alio [g]) loco apud eundem ὁ τὴν ἐπιςολὴν ἡμῖν ἀποδȢ̀ς. Sed hoc leue, nec multum difficultatis habet: illa forte

a) In Attic. c. 5.
b) Lib. VIII. c. 15. ſect. 155.
c) voc. πρυτανεῖον.
d) Diſſert. II. ad Antiquitatt. et Marm. p. 211. cf. CORSIN. Faſt. Attic. Diſſert. XI. p. 146.
e) De Vſu et Praeſt. Numiſm. T. II. p. 417.
f) pag. 14.
g) pag. 20.

forte grauior et difficilior quaeſtio, quinam hic ϛϱατηγοὶ intelligendi ſint, et quare ad eos hoc Decretum fuerit delatum? Primam quaeſtionem primum expediemus. Scilicet quemadmodum apud Romanos vox *Praetoris* et militarem et ciuilem magiſtratum denotat; ſic apud Athenienſes vox ϛϱατηγȣ̃ ipſa quoque diuerſo ſignificatu accipiebatur, adeo vt non minus ciuilem, quam militarem magiſtratum denotaret. Hic vero neque conſilii noſtri, neque inſtituti eſt, agere de decem illis *ſtrategis*, ex vnaquaque Tribu electis, et quibus *Polemarchus* tanquam Praeſes quidam et moderator apponebatur, qui belli gerendi cauſa inſtituti ſunt, de quibus eſt apud HERODOTVM, [h]) HARPOCRATIONEM [i]) et alios: his enim ϛϱατηγοῖς hoc loco minime vtimur; ſuſcepti negotii ratio potius a nobis poſtulat, vt, quinam hic ϛϱατηγοὶ intelligendi ſint, oſtendamus. Hic vero longe abſumus, vt dubitemus, quin in hoc Decreto per τȣ̀ς ϛϱατηγȣ̀ς indicentur ὁ ϛϱατηγὸς ἐπὶ τῶν ὅπλων, et ille alter ὁ ϛϱατηγὸς ἐπὶ τῆς διοικήσεως. Hos duos enim ſemper fere intelligendos eſſe, vbi ϛϱατηγῶν, multitudinis numero, et quidem pacis temporibus, mentio fit, ex multis veterum locis obſeruauimus. Sic in illo Decreto apud DEMOSTHENEM [k]) Ἐπὶ Μνησιφίλȣ Ἄϱχοντος etc. mentio fit Στϱατηγῶν, qui quales fuerint, in eodem Decreto docetur, nempe ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων ϛϱατηγὸς, καὶ ὁ (ϛϱατηγὸς) ἐπὶ τῆς διοικήσεως, h. e. *Armorum Praefectus ſ. rerum militarium Curator*, qui pacis quoque temporibus Athenis erat, *et Praetor vrbanus ſ. rebus vrbanis conſtitutus*, non, vt interpres Latinus, *quaeſtor*. Et hoc quidem duplicis *ſtrategorum* genus ſemper intelligendum eſt, vbi non de bellicis expeditionibus ſermo eſt, et ϛϱατηγῶν tamen, multitudinis numero mentio iniicitur. Nec eſt, quod quis miretur, vocem ϛϱατηγȣ̃, quae fere ducem belli denotat, de magiſtratibus vrbanis, pacis tempore munere ſuo fungentibus, vſurpari. Antiquiſſimis enim temporibus vox ϛϱατȣ̃, quae poſtea *exercitum* denotare coepta eſt, ſignificabat *populum*, *ciuium multitudinem*. In quam rem vel vnum SOPHOCLIS [l]) locum afferre iuuat.

ΣΤΡΑΤΟ'Σ δ' ὅπως ὁϱᾷ νιν ἐκπεπτωκότα.

Populus autem ſ. multitudo ſpectantium vbi eum prolapſum videt.

Plura

h) Lib. VI. p. 422. Ed. Gronou.

i) In voc. ϛϱατηγοί. cf. Perizon. ad Aelian. V. H. Lib. III. c. 17 et V. c. 13.

k) De Coron. p. 318.

l) In Electra V. 752.

Plura de huius vocis ſignificatu, non ſatis cognito, exempla dabit SPANHEMIVS.[m]) Hinc factum, vt ϛρατηγὸς quemcunque *praefectum*, nulla ratione ad res bellicas habita, denotaret: Quo ſenſu nobiliſſimus ille Iudaicus Iudaicarum Antiquitatum auctor Ioſephum, quem alias ſemper fere ἐπίτροπον τῆς Αἰγύπτȣ vocat, ϛρατηγὸν appellat.[n]) Huius vocis ſignificatus diligenter obuerſari debet animis legentium cum ſacros, tum profanos auctores, ne, vbi ϛρατηγοὶ nominantur, ſemper de ducibus belli, aut praefectis copiarum militarium cogitent, a quo errore viros etiam doctiſſimos non ſemper immunes fuiſſe obſeruauimus: HAMMONDVM certe eius rei ignoratio in errorem induxit, vt ϛρατηγὸν apud Diu. Lucam[o]) de cohortium Romanarum praefecto interpretaretur, de quo Lucae loco poſtea pluribus. Hic vero cum diſputamus de *ſtrategis*, quid impedit, quo minus vnum et item alterum N. T. locum conſideremus, eique ex Antiquitatibus Graecis aliquid lucis affundere ſtudeamus. PAVLLVS et SILAS abducti[p]) dicuntur ad *ſtrategos*, *προσαγαγόντες αὐτȣ̀ς τοῖς ϛρατηγοῖς -- οἱ ϛρατηγοὶ περιῤῥήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια.* Cum Macedonia, eiusque adeo vrbs primaria, Philippi, vbi haec acciderunt, ex longo, inde tempore Romanorum poteſtati ſubiecta pareret, facile intelligitur, per ϛρατιγȣ̀ς non *duces belli*, ſed *duces ciuiles* hic eſſe intelligendos: qui quales fuerint, non vna eſt, eademque Virorum doctorum ſententia. Et magnus quidem CASAVBONVS[q]) ille ſcribit: *Seculo Athenaei ϛρατιγοὶ in municipiis dicebantur etiam ciuiles et vrbani magiſtratus, vt Actor. XVI. 20.* Cui cum multi alii, tum WOLFIVS ὁ πάνυ ſubſcribendum putarunt. Sed non ſatis accurate de hac re CASAVBONVS. Nam neque Athenaei demum aetate iſte τȣ̃ ϛρατηγȣ̃ vſus obtinuit, vt dudum contra Caſaubonum obſeruauit SPANHEMIVS,[r]) et ex iis, quae paullo ante diſputauimus, ſatis apparet: neque in hoc Lucae ſermo eſt de *municipio* aliquo, ſed *colonia*, quarum vrbium diuerſiſſimam fuiſſe rationem, Veterum auctoritas luculenter docet: *Philippos* autem *coloniam* fuiſſe, cum ex ipſo D. Lucae loco apparet, et a Viris[s]) doctis abunde Vete-

m) De Vſu et Praeſt. Numiſ. T. I. Diſſ. IX. p. 697. et ad Iulian. Orat. p. 75.

n) Lib. II. Ἀρχαιολογ. c. 3.

o) Euangel. C. XXII. v. 4.

p) Act. Apoſt. C. XVI. v. 20.

q) Animaduerſ. ad Athenaeum Lib. V. c. 14.

r) Ad Iuliani Orat. p. 77.

s) Spanhem. de Vſu et Praeſtant. Numiſm. T. II. Diſſ. XIII. p. 601. CELLAR. Diſſertatt. Academ. p. 711.

Veterum teſtimoniis confirmatum eſt. Neque male tamen CASAVBONVS, qui de magiſtratibus vrbanis hos ϛρατηγὺς accipit, cum et ipſa conditio vrbis *Philipporum* non patiatur, vt de ducibus belli intelligamus, et Veterum monumenta, nummi praeterea, et Marmora luculenter doceant, in aliis quoque Graeciae ciuitatibus ϛρατηγὺς ciuilibus negotiis adminiſtrandis fuiſſe praefectos. Scilicet multae Graeciae ciuitates ſummum Magiſtratum ſuum appellarunt ϛρατηγὸν, ſecutae, vti in aliis, ita et in hac re, morem Athenienſium, qui, vti ſupra monebamus, magiſtratum quoque vrbanum dixere ϛρατηγὸν. Huius autem ϛρατηγῦ poteſtas et dignitas cum eſſet in iis ciuitatibus ſumma, factum eſt, vt quemadmodum Athenis Ἄρχοντος ἐπωνύμȣ, Romae autem COSS: nomine, ſic ibi ϛρατηγῦ, tanquam ἐπωνύμȣ, nomine anni ſignarentur, ſaepe etiam nummi inſignirentur. Neque id quemquam mouere debet, quod in hoc Actorum loco plurium ϛρατηγῶν mentio fiat, cum, auctoribus Veteribus, ſatis conſtet, in Graeciae ciuitatibus, pro ipſarum magnitudine et dignitate, nunc vnum, nunc plures ϛρατηγὺς fuiſſe. In quam rem iuuat egregium ARISTOTELIS [t]) locum huc afferre: Ἔνθα μὲν ȣ̓ͅν ἐπὶ πᾶσι τȣ́τοις ἀρχαὶ πλείȣς εἰσὶν, ἔνθα δ' ἐλάττȣς· οἷον ἐν ταῖς μικραῖς πόλεσι μία περὶ πάντων· καλȣ̃σι δὲ ϛράτηγȣ̀ς καὶ πολεμάρχȣς τοιȣ́τȣς, *Alicubi ergo ſuper his plures ſunt magiſtratus, alicubi pauciores, veluti in paruis ciuitatibus vnus magiſtatus, omnia ciuilia negotia adminiſtraturus, conſtituitur. Tales autem vocant STRATEGOS et POLEMARCHOS.* Sic CICERO, [u]) vbi de *Temno*, vrbe Aeoliae, loquitur, quinque Praetorum ſ. ϛρατηγῶν mentionem facit: *cum ciuitate mihi res eſt acerrima, et conficientiſſima literarum, in qua nummus commoueri nullus poteſt ſine QVINQVE PRAETORIBVS.* Sic in Foedere Smyrnenſium, cum Magneſiis icto, a Spanhemio [x]) autem allato, haec leguntur: Στρατηγῶν γνώμη, quae indicant, et ibi plures hoc magiſtratu eſſe functos. Cum autem in vna, eademque ciuitate plures ϛρατηγοὶ eſſent, (cauſas eius rei coniectando aſſequi ſtudet. DALENIVS [y]) vnus illorum, qui princeps et praeſes erat, dicebatur ϛρατηγὸς πρῶτος, eratque ἐπώνυμος, ita vt in annis deſignandis eius vnius nomine vterentur, caeterorum nulla in ea re ratione

t) Politic. Lib. VI. c. 8.
u) Pro Flacco c. 19.
x) Ad Iuliani Orat. p. 77.
y) Diſſertatt. ad Antiquitatt. et Marmora p. 255.

ne habita. Ex στρατηγοῖς ἐπωνύμοις porro patet, hunc magistratum fuisse annuum, atque adeo vnum, eundemque diuersis temporibus plus vice simplici hoc munus obire potuisse, vnde in Inscriptione, ex SPONIO a DALENIO[z]) allata, Lucius Bonnatus ΣΤΡΑΤΗΓΟΣ ΠΡΩΤΟΣ ΔΙΣ *bis princeps s. praeses strategorum* fuisse dicitur. Non igitur mirandum, *Philippis*, vrbe quippe primaria, et Macedoniae principe plures στρατηγοὺς fuisse. Et haec quidem de *Strategis* in laudato Actorum loco, a quo discedere nondum possumus, cum nos quaedam difficultas retineat, cui tollendae si quam rationem attulerimus, non existimabimur operam lusisse, et perdidisse, praesertim cum videam, WOLFIVM, Virum alias diligentissimum, accuratissimumque ne verbulo quidem de ea difficultate, eiusque amouendae ratione, Lectores monuisse. Scilicet paullo ante contendimus, vti in aliis Graeciae vrbibus, ita etiam *Philippis* στρατηγοὺς obtinuisse *summum magistratum vrbanum:* quinam igitur illi Ἄρχοντες, quorum v. 19. fit mentio? quae ipsorum partes, quae dignitas? maiorne an minor quam στρατηγῶν? Et primum quidem notatu dignum videtur, in multis Graeciae ciuitatibus, non στρατηγοὺς solum, sed ἄρχοντας quoque summum magistratum fuisse. In quam rem digna sunt verba VAILLANTII, quae ex DALENIO[a]) huc transferantur: Στρατηγὸς *in nummis* (addere potuerat, et in marmoribus) *PRAETOR est, summus vrbis magistratus, et vt in Ciuitatibus Latinis Duumuir. Magistratus ille ab Atheniensibus, vt Archontum auctoritatem imminuerent, est introductus; at cum vterque magistratus ab iis in Ioniam cum Colonis transiisset, hinc factum est, vt aliae vrbes sibi Archontes adhuc pro magistratibus retinuerint, aliae Praetoribus vterentur.* Scilicet vt στρατηγοὶ in quibusdam vrbibus, ita ἄρχοντες in aliis summo magistratu fungebantur. Hinc ille ἄρχων in quibusdam vrbibus ἐπώνυμος f. *anni signator*, vt in Decreto Deliorum apud IOSEPHVM: [b]) Ἐπὶ Ἄρχοντες Βοιωτοῦ μηνὸς Θαργηλιῶνος εἰκοστῇ χρηματισμὸς στρατηγῶν, et in multis aliis. Neque vnus tantum, sed plures in vna ciuitate ἄρχοντες erant, quemadmodum ex hoc ipso Actorum loco patet, plures *Philippis* fuisse. Cum autem plures erant Archontes in vna ciuitate, eadem eorum ratio erat, quam στρα-

z) Dissertatt. ad Antiquitatt. et Marmora p. 243.

a) In Dissertatt. ad Antiquitatt. et Marm. p. 409.

b) Lib. XIV. Ἀρχαιολογ. c. 17.

στρατηγῶν fuisse supra admonebamus, nempe vt vnus eorum princeps et praeses esset caeterorum, dictus propterea πρῶτος ἄρχων in nummis publice cusis: De qua re videndus saepius nobis laudatus DALENIVS.[c]) Iam cum *Philippis* et στρατηγὸς et ἄρχοντας fuisse constet, quorum vtrique summum vrbis imperium hinc inde commissum scimus; merito illa quaestio disceptanda est, vtrum ἀρχόντων, an στρατηγῶν maior potestas, dignitasque *Philippis* fuerit. Haec quaestio cum, in tanto veterum silentio, non possit ita expediri, vt nihil dubitationis relinquat; ad opem coniecturae decurrendum est, quae quo propius verum erit, eo plus auctoritatis, opinor, habebit. Mihi quidem, re paullo diligentius considerata, animus inclinat eo, vt putem, *Philippis* auctoritatem, dignitatemque *Strategorum* maiorem fuisse, quam *Archontum:* In hanc sententiam vt descenderem, persuasit mihi ipsius Actorum loci consideratio. Quaecunque enim de PAVLLO et SILA spoliatis, virgarum ictu caesis, in carcerem coniectis, ex eoque dimissis narrantur, ea omnia ex imperio auctoritateque *Strategorum* acta dicuntur, vt, quasdam in ea re partes *Archontum* fuisse, ne verbo quidem indicetur: quae res, nisi me amor, studiumque sententiae, a me defendendae, fallit, maiorem potestatem *Strategis*, quam *Archontibus* vindicat, adeo vt ἄρχοντες *magistratus* s. *Senatores*, στρατηγοὶ autem *Praesides*, *moderatoresque Senatus* fuisse videantur. Multum auctoritatis huic sententiae ex eo accedit, quod in multis Graeciae ciuitatibus *Strategos* τῇ βουλῇ s. *Senatui*, vt Romae COSS. praesedisse animaduerti. Sic v. c. in *Decreto Ephesiorum pro Iudaeis* apud IOSEPHVM[d]) *Strategi* dicuntur fecisse relationem de securitate ac libertate Iudaeorum ad Senatum populumque, ex quorum relatione δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ *decreuit Senatus et populus.* *In Decreto Sardianorum* apud eundem,[e]) Ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ στρατηγῶν εἰσηγησαμένων *Decreuit Senatus et Populus relatione a Strategis facta:* in eodem dicitur locus Iudaeis habitationi aedificandae assignatus a *Strategis*, tanquam summo ibi magistratu, vt adeo in quibusdam locis *Strategi* praesides et Directores magistratuum, Senatorumque fuerint. Quare verborum Lucae τὸν Παῦλον καὶ τὸν Σίλαν εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς Ἄρχοντας, καὶ προσαγαγόντες αὐτοὺς τοῖς στρατηγοῖς etc. hunc sensum esse puto: Paul-

c) Dissertatt. ad Antiquitatt. et Marmora p. 225.

d) Lib. XIV. Ἀρχαιολογ. c. 17.

e) Lib. XIV. Ἀρχαιολογ. c. 17.

Paullus et Silas primum in forum ad magistratus (ἄρχοντας) tracti, postea ad *Strategos*, summum quippe magistratum, ducti sunt, qui, totius iudicii arbitri, statim eos virgis caesos in carcerem coniici iusserunt. Sed intelligimus, nos hic versari in loco lubrico, toto quippe coniecturali, in quo si titubasse nos, lapsosque animaduerterint acutiores, doctrinae suae ope nos, opinor, erigent. Interim laetamur, nos postea cognouisse, CELLARIVM [f]) in eadem fuisse sententia, neque cum HVG. GROTIO ἄρχοντας et στρατηγὲς in hoc Actorum loco pro iisdem habuisse. Quocunque autem modo nobis haec illius Actorum loci interpretatio cesserit (id enim non nostrum est, sed aliorum iudicium), iuuat tamen huic amoeno diuerticulo paullulum immorari, et quaedam alia N. T. loca, in quibus τῶν στρατηγῶν mentio fit, considerare. D. LVCAS [g]) alio loco στρατηγῶν meminit: cuius vocis significatus etsi varius est, tamen hic sine vllo errandi periculo per στρατηγὲς *praefectos templi* intelligi potest, quoniam qui hic nude στρατηγοὶ dicuntur, in eodem Cap. v. 52. στρατηγοὶ τῦ ἱερῦ diserte nominantur. Sed quemadmodum hoc nihil difficultatis habet, ita illa quaestio Interpretes in varias, easque magnopere discrepantes sententias distraxit, quinam per *praefectos templi intelligendi sint*. Et HAMMANDO quidem ad h. l. non dubium videtur, quin hi στρατηγοὶ τῦ ἱερῦ non alii sint, qam *Praefecti cohortis, vel plurium cohortium Romanarum, quae in porticibus templi excubias agerent, ne ibi, Iudaeorum concursu, seditio oriretur:* Eiusdem fere sententiae est ERASM. SCHMIDIVS. [h]) Et habet sane haec sententia magnam veri speciem. Nam v. 1. dicitur Festum Paschatis appropinquasse; illo autem tempore vnam cohortem Romanam, armis instructam, supra templi porticus, tumultum, si quis oriretur, compressuram, fuisse collocatam, docuit me IOSEPHVS, [i]) auctor in his rebus sane grauissimus. Quamquam autem hoc nomine HAMMONDI, aliorumque sententia sese quodammodo commendat, tamen non vnum est, quod nos ab assensu, ei praebendo, retinet. Quis enim animum inducat, vt sibi persuadeat, Iudam, cum in eo erat, vt Christum proderet, ad Tribunum militum Romanorum accessisse, et pactum esse de Seruatore prodendo cum eo, homine non

 solum

f) In Dissertatt. Academ. p. 712.

g) In Euang. C. XXII. v. 4.

h) Ad Act. Apost. IV. 1.

i) Lib. XX. Ἀρχαιολογ. c. 4. et 7. et περὶ Ἁλώσ. Lib. II. c. 11.

ſolum Ethnico, ſed etiam ne minimum quidem ius in his rebus habente, vt omnes fateri coguntur, niſi hoſpites in Romana Hiſtoria dici ſe, haberique velint. Iudamne igitur aut omnium rerum ita ignarum fuiſſe putemus, vt neſciuerit, huius Tribuni militum nullas plane partes, nullum ius in Chriſto damnando eſſe; aut ita ſtultum et dementem, vt cum eo de proditionis mercede paciſceretur, quem, (vt ille GALLIO, Proconſul Romanus, de quo D. LVCAS, [k]) totum illud negotium, tanquam a ſe longe alieniſſimum, non curare, ſed ridere, contemnere certe, ſciret? Deinde et hoc HAMMONDI ſententiam conuincit, quod in multis N. T. locis στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ coniunctos videmus cum ἀρχιερεῦσι, γραμματεῦσι et aliis Iudaeorum Principibus, et ea quidem occaſione, cum de rebus, ad religionem Iudaicam vnice ſpectantibus agendum, conſultandumque erat. Quis autem credat Iudaeorum conſilio, in quo de religione agebatur, Tribunos militum, homines religionis Iudaicae et ignaros et contemtores, irriſoresque tanquam Iudices aſſediſſe? Eas res curabant ſcilicet homines Ethnici! Quid? quod hos στρατηγοὺς cum Iudaeorum Principibus conueniſſe, et de rebus ſacris agitaſſe eo tempore legimus, quo nullum Iudaeorum Feſtum, nullique adeo milites Romani ſupra porticus Templi conſtituti erant. Nam illam cohortem Romanam tantum diebus feſtis in Templo poſitam fuiſſe, loca IOSEPHI, ſupra laudata diſerte docent, vt adeo extra illud tempus ne στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ quidem, ſi opinionem HAMMONDI ſequare, eſſe potuerit. Reiecta igitur HAMMONDI ſententia, contendimus, per hos *praefectos templi* Iudaeos eſſe intelligendos. Iudaeos enim Hieroſolymis ſuos ſibi habuiſſe *Strategos*, cum alia Veterum monumenta, tum grauiſſima ſacrarum literarum auctoritas luculentiſſime docet. In quo quidem non obuerſari animo debent ii *Strategi*, qui bello gerendo creabantur, (quae στρατηγῶν notio, male huic loco illata, HAMMONDO fraudi fuiſſe videtur) cum tunc temporis Iudaeis, Romano imperio ſubiectis, belli gerendi ius ademtum eſſet; ſed tales, quae praeſidio, Templi Hieroſolymitani tuendi cauſa, conſtituto, praefecti erant. Huius Praeſidii, ad tutelam Templi poſiti, mentio iam fit in Veteri Teſtamento, [l]) cum in captiuitate Babylonica שְׁלֹשֶׁת שֹׁמְרֵי הַסַּף abducti dicuntur; quae verba LXX Seniores, reddiderunt τρεῖς

τοὺς

k) Act. Apoſt. C. XVIII. v. 12.   l) 2 Regg. C. XXV. v. 18.

τὺς Φυλάσσοντας τὸν ςαθμόν, paullo obſcurius: dilucidius autem IOSEPHVS [m]) τὺς Φιλάσσοντας τὸ ἹΕΡΟΝ ἡγεμόνας, τρεῖς δὲ ἦσαν ὗτοι. Facit huc quoque PHILONIS [n]) locus, vbi Leuitae dicuntur excubias per templi montem egiſſe, portarum excubias, noctu, atque interdiu obiiſſe: ἦσαν δέ τινες τεταγμένοι νεωκόροι, καὶ ἱερόδυλοι τῶν πυλωρῶν τεταγμένοι τάξιν. Has autem excubias ſecundi quoque Templi tempore fuiſſe actas, ex Iudaeorum ſcriptis docet S. R. DEYLINGIVS, [o]) Vir omnium eruditorum iudicio et diuina et humana ſapientia abundans. Harum autem excubiarum Leuiticarum praefecti ſunt ii ipſi, qui a Luca nunc ςρατηγοὶ, nunc ςρατηγοὶ τῦ ἱερῦ vocantur. Neque hic ſolum, ſed aliis [p]) quoque in locis per ςρατηγὺς praefecti excubiarum in Templo intelligendi ſunt: quae loca, ſi conſiderantur, docebunt, hos *Strategos* cum Summo Pontifice, Sacerdotibus, et Sadducaeis ita iungi, vt facile intelligas, eos eiusdem generis, religionisque fuiſſe, vt adeo vel ex his locis HAMMONDVS conuinci poſſit, qui ςρατηγὺς τῦ ἱερῦ Romanos, atque adeo a Iudaeorum gente, religioneque ſeiunctos fuiſſe contendit. Hic vero nemini id ſcrupulum iniiciat, quod cum LVCAS, in Euangelio plurium ςρατηγῶν mentionem fecerit, in Actis Apoſt. vnum tantum commemoret. Non enim hoc inſolens eſt, aut ab aliorum Auctorum loquendi more alienum, vt, cum antea de aliquo Magiſtratu, Multitudinis Numero, locuti ſunt, mox ita eius mentionem faciant, ac ſi vnus tantum eo munere functus videatur. Sic, ne longe exemplum, petamus, apud IOSEPHVM [q]) *in Decreto Epheſiorum*, Νικάνωρ Ἐφήμυ εἶπεν εἰσηγησαμένων τῶν ςρατηγῶν - - ὁ ςρατηγὸς συνεχώρησε nunc plurium, nunc vnius tantum ςρατηγῦ mentio fit. Quod autem, etſi plures erant, tamen vnus tantum nominatur, eius rei ratio haud dubie haec eſt, quod is caeterorum princeps, et dignitate, auctoritateque quaſi praeſes eſſet: quod ipſum quoque in Graeciae ciuitatibus non inuſitatum fuiſſe, ſupra obſeruabamus, vt, etſi plures in vna eademque vrbe ςρατηγοὶ eſſent, vnus tamen illorum, dignitate, aut alia quacunque re prae caeteris excellens, ςρατηγὸς diceretur κατ᾽ ἐξοχὴν, aut etiam ςρατηγὸς πρῶτος. Iuuat in hanc rem alia exempla afferre, ex quibus edocti ſcimus, plures fuiſſe ἱερεῖς

m) Lib. X. Ἀρχαιολογ. c. 11.
n) De Poen. p. 922.
o) Obſeruatt. Sacr. P. III. p. 303.
p) Act. Apoſt. C. IV. v. 1. et C. V. v. 24. et 26.
q) Lib. XIV. Ἀρχαιολογ. c. 17.

ἱερεῖς, eorumque principem ἀρχιερέα esse dictum: nihilo tamen minus Summum Pontificem s. ἀρχιερέα saepe legimus appellari ἱερέα. Sic CHRISTVS, qui PAVLLO r) tantum non semper ἀρχιερεὺς dicitur, ab eodem tamen ἱερεὺς dicitur. s) Neque aliter SIMON, Summus Pontifex, nunc ἱερεὺς, nunc ἱερεὺς μέγας vocatur. t) Ex quo loquendi more intelligendus, et illustrandus LVCAE u) locus, ὅ, τε ἱερεὺς καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ καὶ οἱ ἀρχιερεῖς: vbi ἱερεὺς dicitur κατ' ἐξοχὴν de Summo Sacerdote, vt patet ex v. 27, qui autem dicuntur ἀρχιερεῖς, non sunt ii, qui summo sacerdotio tunc temporis fungebantur, sed olim functi erant, idque magnificum nomen honoris causa retinuerant, eodem modo, quo Ἀσιάρχαι in N. T. dicuntur, x) qui olim Asiarchiae Sacerdotium obierant, illudque nomen in memoriam splendidi illius muneris administrati retinuerant, vt pluribus, Θεοῦ διδόντος, ostendemus in Animaduersionibus nostris ad WOLFII, τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις, Curas Philologico-Criticas. Sed ex quo loco egressi, et paullo latius euagati sumus, ad eum redeat Disputatio nostra. Scilicet eramus in eo, vt ostenderemus in his Decreti nostri verbis, ἀπεδόθη τοῖς στρατηγοῖς ψήφισμα Ἀθηναίων, per στρατηγοὺς non *duces belli*, sed *magistratus vrbanos* esse intelligendos, quod supra nos confirmasse existimamus. Restat alia quaedam dubitatio, quae diu ancipitem me tenuit, quare scilicet hoc Decretum inprimis ad *Strategos* fuerit delatum. Viri docti, quorum ingenium, studiumque occupatum fuit in exponendis Magistratuum Atheniensium officiis et muneribus, a nobis in dubia hac re consulti, nihil responsi dederunt. Ipsi igitur Veteres, in consilium adhibiti, docuerunt nos, inter caetera munera στρατηγῶν, quibus quidem hoc loco vtimur, nempe τοῦ ἐπὶ τῆς διοικήσεως et τοῦ ἐπὶ τῶν ὅπλων, fuisse non solum haec, vt concionem y) populi conuocarent, z) Senatum vna cum Prytanibus cogerent, et ea, quae in concione populi acta erant, ad Senatum a) referrent, sed etiam, quod ad rem praesentem inprimis facit, vt legatos, publice aliquo mandata, aut Decreta etiam Senatus Populique perferendi causa mittendos, eligerent. b) Hoc τῶν στρατηγῶν munus ex his Decreti nostri verbis dilucide apparet, ἐπιμε-

r) Hebr. C. II. v. 17. III. 1. IV. 14. 15.
s) Hebr. V. 6.
t) 1 Maccab. C. XV. v. 1. et 2.
u) Act. Apost. V. 24.
x) Act. Apost. C. XIX. v. 31.
y) DEMOSTH. de Corona p. 318. A.
z) DEMOSTH. de Cor. p. 323. A.
a) DEMOSTH. de Cor. p. 323. B.
b) DEMOSTH. de Cor. p. 328. A.

ἐπιμεληθῆναι δὲ τὰς στρατηγὰς - - ἑλέσθαι δὲ καὶ πρέσβεις ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων, οἵ τινες τε αὐτῷ (Ὑρκανῷ) κομιᾶσι τὸ ψήφισμα. Alia causa, quare hoc Decretum ad *strategos* delatum est, ipsa quoque a Decreto nobis suppeditata, haec est, vt, quicquid honorum, ornamentorumque *Hyrcano*, exhibendorum, Atheniensis populus excogitauerit, et decreuerit, id *strategi* exsequendum curarent: ἐπιμεληθῆναι δὲ τὰς στρατηγὰς διαμένοντί τε αὐτῷ, καὶ διαφυλάσσοντι τὴν πρὸς ἡμᾶς εὔνοιαν, εἶναι πᾶν ὅ, τι ἂν ἐπινοήσωμεν εἰς τιμὴν καὶ χάριν τῆς ἀνδρὸς σπεδῆς καὶ φιλοτιμίας. Videtur autem huius rei cura eam ob causam Strategis commissa fuisse, ne *Psephisma* aut corrumpi, aut supprimi posset, sed vt in Μητρῷον s. Aedem Matris Deum, vbi Decreta seruari moris erat, deferretur. Quamquam enim officium Psephismatum seruandorum erat *scribae*, a Senatu sorte electi, vt diserte POLLVX c) tradit; tamen, quoniam a scribis, mercedula aliqua corruptis, Decreta interdum vitiata fuisse ex DEMOSTHENE, d) eiusque Enarratore VLPIANO, e) constat; non dubium videtur, quin his *Strategis* id muneris iniunctum fuerit, vt Decreta exsequenda, et in Μητρῷον deferenda curarent, vt eo delata vim suam, auctoritatemque legitimam consequerentur. Quemadmodum enim in Romanorum institutis hoc fuisse, auctoribus f) Veteribus, scimus, vt SCta non prius aliquam vim haberent, quam delata essent in Aerarium: ita Athenis quoque in more fuisse prope verum videtur, vt *Psephismata* tum demum auctoritatem obtinerent, si in Μητρῷον essent delata. Sed hoc, non nisi sola coniectura ducti, attulimus. Caeterum aliquot mensium interuallum intercessit inter tempus huius *Psephismatis* facti, et ad *Strategos* delati. Factum enim est vndecimo die Mensis *Munychionis*, respondentis fere Romanorum *Aprili*, ad *Strategos* autem delatum vigesimo quinto die Mensis Syro-Macedonici *Panemi*, qui Atheniensium *Metageitnioni*, Romanorum autem *Augusto* fere conuenit, ex diuersarum gentium Mensium collatione, instituta a DODWELLO g) et CORSINO, h) quam tutius sequendam puto, quam *Gazam* de Mensibus Atticis, aut Vetus Lexicon, vtrumque ab

c) Lib. VIII. f. 98.

d) De Fals. Legat. p. 226.

e) In DEMOSTH. Orat. de Fals. Legat. p. 210.

f) SVETON. August. c. 94. TACIT. Annal. Lib. III. c. 51. et ibi Lipsius.

g) De Cyclis Veter. Differt. IX. sect. 6.

h) Fast. Attic. Differt. II. p. 63.

ab H. STEPHANO[i]) exhibitum. Hoc vero temporis ſpatium eam forte ob cauſam interceſſit, quia hoc *Pſephiſma*, a Populo factum, Senatui recitandum eſſet, vt penitus inſpici, cognoſcique ab eo poſſet: quae actio ψηφισμάτων εἰσήγησις dicebatur, de qua eſt apud POLLVCEM.[k]) Quae denique de ςρατηγῶν muneribus diximus, ex iis intelligetur, ςρατηγὺς in hoc Decreto *Praetores* potius eſſe, quam cum Latino Interprete, *Duces* reddendos. Caeterum poſt verba ἀπεδόθη τοῖς ςρατηγοῖς ψήφισμα Ἀθηναίων maior diſtinctio ponenda eſt: ſignificatur enim HYRCANO, quorum curae, et quo tempore huius Decreti exſecutio fuerit commiſſa.

Ἐπὶ Ἀγαθοκλέυς ἄρχοντος) In Edit. Ittigiana, nec non Hauercampiana, haec verba antecedentibus annectuntur: Male ſane, et contra omnem Decretorum concipiendorum formulam! Verba enim Ἐπὶ Ἀγαθοκλέυς ἄρχοντος ſunt initium nouae periodi, vno orationis filo continuandae vſque ad Διονύσιος Διονυσίυ εἶπεν, vt in ipſo Decreto, ex noſtra interpunctione conſtituto, typis exſcribendum curauimus: aliorum enim diſtinctio mire perturbata et confuſa eſt. Haec omnia autem propterea vno orationis vinculo nectenda putamus, quia cum ex DEMOSTHENE, tum aliis edocti ſcimus, ante ipſam Decreti formulam breuiter et notam temporis, et nomina eorum praefigi, quorum quaedam partes in Decreto conficiendo fuerint. Sic DEMOSTHENES,[l]) Ἐπὶ Ἄρχοντος Μνησιφίλυ, Ἑκατομβαιῶνος (ſiue vt CORSINVS[m]) legendum oſtendit Ἐλαφηβολιῶνος) ἔνῃ καὶ νέᾳ, Φυλῆς πρυτανευύσης Πανδιονίδος, Δημοσθένης Δημοσθένυς εἶπεν: et apud THVCYDIDEM,[n]) ἔδοξε τῷ δήμῳ, Ἀκάμαντις ἐπρυτάνευε, Φαίνιππος ἐγραμμάτευε, Νικιάδης ἐπεςάτει, Λάχης εἶπε. Tale illud ANDOCIDIS,[o]) a DVKERO ibi laudatum, Ἔδοξε τῇ βυλῇ καὶ τῷ δήμῳ. Αἰαντὶς ἐπρυτάνευε, Κλεογένης ἐγραμμάτευε, Βοηθὸς ἐπεςάτει. Neque aliter in quodam Marmore, quod ex SPONIO exhibuit CORSINVS,[p]) Ἐπὶ Φαιδρίυ ἄρχοντος, ἐλαφηβολιῶνος ὀγδόῃ, ἐκκλησία, ἐν τῷ ἱερῷ τῦ Ἀπόλλωνος Διονύσιος Διονυσίυ Ἀρχιθιασίτης εἶπεν. Et ſic in aliis pene innumeris Decretis, vt mirari ſubierit, Viros, alioquin perſpicaciſſimos, prauam interpunctionem in hoc Decreto noſtro non animaduertiſſe.

i) In Appendice Theſ. Gr. L.
k) Lib. V. §. 177.
l) De Coron. p. 316.
m) In Faſt. Attic. Diſſ. III. p. 129.
n) Lib. IV. c. 118.
o) Orat. de Myſteriis p. 220.
p) In Faſt. Attic. Diſſ. VIII. p. 370.

tiſſe. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Praepoſitionem ἐπὶ tempori, quo aliquid acciderit, deſignando adhiberi ab optimo quoque ſcriptore, tritius eſt, quam vt admonendum ſit. Recte igitur, et loquendi mori optimorum ſcriptorum conuenienter LVCAS q) ſcripſit, Ἐπ' Ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα: r) alibi autem ex Hebraeorum more locutus eſt, Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρώδου, Graecus ſcriptor, Hebraeos non imitatus, dixiſſet Ἐφ' Ἡρώδου omiſſo τῷ ἐγένετο. Nam bonus ille PFOCHENIVS, s) hanc loquendi formulam ab Hebraiſmi ſuſpicione vindicare conatus, vti in multis aliis, ita et hic, nihil vidit, dudum eo nomine caſtigatus a GATAKERO, t) VORSTIO, u) MOS. SOLANC x) et aliis: Nec ita loca, ab HOR. VITRINGA, y) cauſae Pfochenianae defendendae, allata quicquam efficiunt: de qua re fuſius et accuratius in Critica noſtra Wolfiana. Haec Decreti noſtri verba, Ἐπὶ Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος, Annalium ille Conditor, BARONIVS, reddit *ſub principe Agathocle*, male! recte eo nomine caſtigatus a CASAVBONO: z) rectius vox ἄρχων in latina interpretatione retinetur, eiusque vis et poteſtas eſt exponenda, cum non vnum *Archontum* genus Athenis fuiſſe ſciamus. Scilicet quemadmodum in vniuerſum Athenienſium ingenium ad imperii ſui ſtatum commutandum procliue fuit, ſemperque amore nouae formae Reipublicae mirifice exarſit; ita quoque in *Archontum* imperio hinc inde mutato mirum quam inconſtantes, mutabilesque fuerint. Nam poſt vltimum eorum Regum CODRVM, qui, Auctoribus CICERONE, a) PAVSANIA, b) IVSTINO, c) ſpontanea morte perniciem publicam depulſurus, hoſtium telis ſe expoſuerat, honeſteque occubuerat, illius poſteris non regnum permiſſum eſt, quod iure haereditario ad eos pertinere videbatur, ſed mitior aliqua, populariorque imperii forma, eaque ὑπεύθυνος, ſ. rationibus, Populo reddendis, obnoxia iis committebatur, adeo vt hi imperii Athenienſium gubernatores *Archontes*, et quidem perpetui et eſſent et vocarentur: quorum primus, hoc magiſtratu functus, fuit MEDON, filius CODRI, vnde eius

q) Euang. C. III. v. 2.
r) Euang. C. I. v. 5.
s) In Diatribe de Purit. N. T. §. 51.
t) De Stilo N. I. C. XXV.
u) Philol. Sacr. T. I. p. m. 106. ſq.
x) De Stilo N. T. p. 310. in Syntagmate Rhenferd.
y) In Animadu. ad Vorſtium. p. 215.
z) In Exercitatt. Anti Baronian. XV. §. 11.
a) Diſputatt. Tuſcul. I. 48.
b) In Attic.
c) Lib. II. c. 6.

eius posteri et successores, *Medontidae* appellati. Et hac quidem imperii forma satis felices sibi, beatique Athenienses videbantur, cum post ALMAEONEM, qui inter *Medontidas* s. *Archontes annuos* decimum tertium, et vltimum locum obtinuerat, paullo liberioris, et magis popularis imperii cupido eos incessisset, adeo vt, ex DIONYSII[d]) calculo, anno 1. Olympiad. VII. Archontes *decennales* s. *decennium tantum* imperantes, creati sint, quorum primus fuit CHAROPS. Horum Archontum decennalium cum septem, atque adeo 70 annis imperassent; etiam haec decennalis imperii forma in ERIXIA, horum Archontum vltimo, sublata est, cum hoc etiam imperii tempus nimis diuturnum, populari que statui non satis conueniens videretur. Itaque libertati suae, securitatique melius se consulturos putabant, si hoc imperium angustioribus et temporis, et potestatis limitibus circumscriberent: placuit ergo *Archontes annuos* instituere, qui *nouem* ex summae dignitatis, reique familiaris ciuibus electi non nisi *annuo Magistratu* fungerentur. Incidit hoc tempus, quo *Archontes annui*, quorum primus CREON fuit, instituti sunt, in annum 3 Olympiad. XXIV, vt DIONYSIVS[e]) auctor est, quamquam PAVSANIAS[f]) tradere videtur, hos Archontes iam Olympiade XXIII institutos fuisse: qui quomodo cum DIONYSIO conciliandus sit docet CORSINVS,[g]) Vir in hoc doctrinae genere facile princeps: Sed nec horum Archontum dignitas diu durauit, cum Athenienses, effuso quodam et abiecto assentandi studio in ANTIGONVM et DEMETRIVM, Macedoniae Reges, abrepti, illa Archontum dignitate penitus sublata, alios Magistratus, Ἱερεῖς Σωτήρων dictos, instituerent: quamquam vix nouendecim exacti erant anni, cum, his sacerdotibus sublatis, consuetudo creandorum *Archontum annuorum* s. *Nouemuirorum* reuocata est, quorum nomen et munera semper durauerunt, donec, Athenis a *Sylla* expugnatis, Atheniensium ciuitas Romanorum Reipublicae, moxque Imperatorum imperio subiecta paruit. Et haec quidem breuiter, pro instituti nostri ratione, de diuersis Imperii Atheniensium formis differere placuit: vberiorem eius rei cognitionem desideranti satisfacient

SIGO-

d) Antiquitatt. Roman, Lib. I. c. 71. et 75.

e) L. c.

f) In Messen. c. 15.

g) In Fast. Attic. Dissert. I. §. IV. V.

SIGONIVS,[h]) POSTELLVS,[i]) MEVRSIVS,[k]) et de Archontibus inprimis, eorumque muneribus, CORSINVS.[l]) De his Archontibus annuis f. Nouemuiris insignis est POLLVCIS[m]) locus. Ἀρχόντων Ἀθήνησιν ὀνόματα· οἱ ἐννέα Ἄρχοντες· εἰσὶ δὲ ὁ τῶ ἐνιαυτῶ ἐπώνυμος Ἄρχων, Βασιλεὺς, Πολέμαρχος, καὶ Θεσμοθέται ἕξ, ἐκ τέτων γὰρ οἱ ἐννέα Ἄρχοντες συμπληρῶνται: *Archontum Atheniensium nomina. Nouem Archontes: Sunt vero Archon annum denominans, Rex, Polemarchus, atque Sex Thesmothetae : hisce enim nouem archontes illi complentur.* Quamquam igitur *nouem Archontes* erant, tamen primus eorum, sortis arbitrio eum honorem nactus, κατ' ἐξοχὴν *Archon* dicebatur, et quidem ἐπώνυμος, quia in anno designando eius nomen adhibebatur. In quam rem Auctor [n]) Etymologici Magni (quem non vna coniectura ductus CORSINVS [o]) *Andromachum* fuisse putat) ἐστιν ὧν ὁ τὴν ἐπώνυμον ἄρχων ἀρχὴν, ἀφ' ὧ καὶ ἐνιαυτὸς ἐμετρεῖτο, *Est igitur Eponymus Archon, a quo annus numeratur:* qui ipse quoque *Archon* in hoc Decreto nostro intelligendus est. Itaque illam consuetudinem apud Athenienses obtinuisse inuenimus, vt in rerum gestarum, Decretorum factorum, legum latarum, aliorumque negotiorum notatu dignorum temporibus designandis Archontis Eponymi nomine, tanquam perspicuo certoque charactere, vterentur, eoque annum notarent, quo res contigisset, quoniam quilibet annus huius Archontis nomine designari, et ab alio sine errandi periculo distingui poterat. Sed hic disceptanda est quaestio, ex quo *Archontum* genere *Agathocles* fuerit? cui confusa, annexaque est altera, an duplex *Archontum Eponymorum* genus statuendum sit? quae res tantis difficultatum tenebris, in summo Veterum de ea re silentio, obducta est, vt Viri, in hoc litterarum genere versatissimi, ingenii sui, doctrinaeque luce non satis clare collustrare eam potuerint. Scilicet, vt de posteriori quaestione incipiamus, cum paullo ante dixerimus, Archontis Eponymi nomen Decretis publice factis, inscribi, et in Fastos solitum fuisse referri; non inepte quis quaerat, an omnes illi Archontes, quorum nomina Decretis praefixa legimus, *Eponymi*, et quidem ex eorum *Archontum Eponymorum* genere fuerint,

 quo-

h) In Libb. de Republ. Atheniens.
i) In Libro de Magistratt. Atheniens.
k) In Libb. de Regno Attic. et Archontibus Atheniens.
l) In Fast. Attic. Diss. I. et VII.
m) Lib VIII. c. 9. sect. 85.
n) In Ἄρχων.
o) In Fast. Attic. Diss. VIII. p. 386.

quorum nomina in Fastos referebantur, iisque anni designabantur? Et habet sane ea sententia, quae hoc affirmat, aliquam veri speciem, cum ex Veterum monumentis erudiamur, nomen *Archontis Eponymi*, qui annum signaret, Decretis fuisse inscriptum. Neque tamen eius auctoritatis ea sententia est, quin grauioribus rationibus confutari possit, atque adeo sit reiicienda. Multos enim Archontes in Veterum monumentis deprehendimus, quorum nomina quamuis Decretis publicis praefixa conspiciamus, ipsique adeo *Eponymi* esse videantur; Fastis tamen inscribi nec debent, nec possunt, sed ex *Eponymorum Archontum* catalogo penitus sunt expungendi. Duplex igitur *Archontum Eponymorum* genus statuendum est, quorum alterum est eorum, qui non solum Decretis inscribebantur, sed Fastis etiam adiungebantur, adeoque annum signabant: alterum autem eorum, qui Decreta quidem interdum nomine suo insigniebant, sed in Fastos non referebantur, neque adeo annum notabant; quos accuratius forte *Pseudeponymos* appellare possis. Gloria duplicis horum Archontum generis obseruati merito tribuenda est PALMERIO, p) quem non videtur legisse DODWELLVS q) cum illud *Archontum Eponymorum*, et *Pseudeponymorum* discrimen nondum eruditis Viris obseruatum esse scribat. Quamquam autem indiciis maxime perspicuis apparet, magnum aliquod esse discrimen inter duplicis huius generis Archontes, illud tamen perquam obscurum, multisque difficultatibus implicitum est, qua nota *Pseudeponymi* ab *Eponymis Archontibus* discernendi sint, et quinam illi *Pseudeponymi Archontes* fuerint, cum a Veteribus in hac quaestione disceptanda nihil fere adiumenti peti possit, totaque adeo ea res coniecturis innitatur. Et DODWELLVM r) quidem non poenitet eius esse sententiae, vt putet, Archontem *Pseudeponymum* non alium fuisse, quam Prytaniae *Epistatam*, illum scilicet, qui illo ipso die concioni praesederit, quo Decretum factum sit. Hanc sententiam tanta veri specie, tantoque doctrinae apparatu, vt solet, commendabilem facit, vt parum absit, quin alios ad assensum non tam permoueat, quam rapiat. Si quis autem rem paullo attentius, curatiusue perpenderit, non pauca in illa sententia inueniet, quae a vero quam longissime

p) In Exercitatt. p. 135.

q) De Veterum Cyclis Diss. III. sect. 40. 41.

r) De Cyclis Veterum Diss. III. Sect. 40.

giſſime videntur remota. Quis enim animum inducat, vt credat, nomina dignitatum et munerum maxime diuerſorum, *Archontis* nempe et *Epiſtatae*, tam promiſcue fuiſſe Athenis vſurpata, tamque confuſa, vt in Decretis, aliisque monumentis publicis vnus idemque ciuis modo *Epiſtatae*, modo *Archontis* nomine inſigniretur, vt *Archontis* nomen modo Supremum Athenienſium magiſtratum, modo Prytaniarum *Epiſtatam* indicaret? praeſertim cum in Decretis, vbi diſerte *Archontis* nomen legitur, etiam nomen Epiſtatae, qui praefuit concioni, addatur, vt in hoc ipſo Decreto factum videmus, de qua re paullo poſt. Hanc dubitationem cum contra ſententiam ſuam afferri poſſe praeuideret DODWELLVS, ita ſe ei occurrere poſſe putauit, ſi diceret, haec duo genera Archontum, *Epiſtatae* ſcilicet, et *Archontis Eponymi*, hoc charactere a ſe ſecernenda eſſe, *in rebus Senatus Archontem anni intelligendum eſſe; in rebus vero Populi Archontem alium non anni, ſed Prytanniae Eponymum, neutiquam ad Faſtos referendum.* Sed haec ſententia, diſcrimenque inter duos hos Archontes a DODWELLO excogitatum, Veterum monumentorum auctoritate plane euertitur. Nam multa extant Decreta, laudata a CORSINO,[s]) nomine *Archontis annui* inſignita, quae non ſolum ad Senatum, ſed ad conciones Populi etiam ſunt referenda. Quid? quod in multis Decretis, in quibus non Senatus, ſed Eccleſiae, et Proedrorum Prytaniarum mentio fit, tamen Archontis ἐπωνύμȣ nomine ſignata ſunt: Tale eſt illud apud DIOGEN. LAERTIVM,[t]) Ἐπὶ Ἀῤῥενίδȣ Ἄρχοντες etc. quod a mendis, quibus ſcatet, purgatum exhibuit CORSINVS, [u]) neque minus ex hoc Decreto noſtro DODWELLI ratio conuelli penitus poteſt. In eo enim commemoratur concio Populi, Epiſtata, Proedri, et tamen *Agathoclis* nomen praefigitur, quem Archontem ἐπώνυμον fuiſſe ipſe DODWELLVS[x]) fatetur. Denique grauiſſimum argumentum contra hanc DODWELLI ſententiam ex ipſa Athenienſis Reipublicae forma afferri poteſt, cum conſtet, Decreta non ſolius Senatus auctoritate, ſed ex Senatus, et Populi ſententia facta fuiſſe, neque a Populo ſolo aliquid decerni potuiſſe, niſi προβȣ́λευμα [y]) ſ. προβȣ́λευτον eſſet, h. e. niſi antea a Senatu probatum fuiſſet, vt adeo

 DOD-

s) In Faſt. Attic. Diſſ. VII. p. 297.
t) Lib. VII. ſeg. 10.
u) In Faſt. Attic. Diſſ. VI. p. 283.
x) De Cyclis Veter. Diſſ. II. Sect. 15.
y) HARPOCRAT. in Προβȣ́λ. et VLPIAN. in Ariſtocr. p. 88.

DODWELLI sententia reiicienda sit, qua contendit, quaedam Decreta a solo Populo facta esse, iisque nomen non *Archontis Eponymi*, sed *Epistatae* inscriptum: quasi vero Archon Eponymus non etiam Ecclesiis et adfuerit et praefuerit! Pluribus contra DODWELLVM disputantem vide CORSINVM. [z]) Reiecta igitur DODWELLI sententia, dicendum, quid mihi de ea re videatur. Ego quidem, quo saepius rem, diligentiusque perpendo, eo magis animum inclinare sentio eo, vt sententiae CORSINI subscribendum putem. [a]) Is autem, rationibus grauissimis permotus, existimat, Archontem illum Pseudeponymum, Decretis interdum inscriptum, fuisse vnum aliquem ex Nouemuiris, *Regem* puta, aut *Polemarchum*, aut aliquem ex *Thesmothetis*. Quae quidem sententia mira quadam veri specie, et gratia sese commendat. Non prope verum est, si Archon Eponymus aut vita defunctus, aut abrogatus, aut aliis denique quibuscunque causis impeditus Senatui, aut Populi concioni adesse et praeesse non potuerit, aliquem ex *Nouemuiris* Senatui, Ecclesiaeque praefuisse, illiusque adeo nomen, non autem Archontis Eponymi absentis, fuisse adscriptum. Neque est, quod quis dicat, eam ob causam non probabile videri, huius Archontis nomen Decretis fuisse inscriptum, quia non toto anno, sed breui tantum tempore concioni praefuerit. Cum enim nomen *Epistatae*, quamuis integro anno non nisi vnicum diem ne vniuersae quidem Concioni, sed Prytaniae tantum praeesset, tamen constet fuisse Decretis inscriptum; maiori iure illius Archontis s. Nouemuiri, qui tunc fortuito Concioni praeerat, nomen adscribi poterat, praesertim cum non vno die, vt *Epistata*, sed toto anno Archontis munere fungeretur. Et hoc quidem sensu Decretum aliquod factum dicitur ἐπὶ Ἄρχοντος τοῦ δεῖνα, *sub Archonte quodam*, quia, illo Concioni praesidente, aliquid Decretum est, etsi ille Archon nec Eponymus erat, nec in Fastos Archontum Eponymorum referendus. Non possumus ab hoc de Archontibus loco discedere, nisi quaestionem aliquam, et superioribus annexam, et rei praesenti nostrae conuenientem, proposuerimus, et soluerimus. Scilicet cum in superioribus ostenderimus, Decretis publicis interdum Pseudeponymi nomen fuisse praefixum, restat, vt inquiramus, quo charactere, qua nota sine errandi periculo diiudicari possit, vtrum Archon, Decreto adscriptus,

z) In Fast. Attic. Diss. VII. §. 5. sqq. a) In Fast. Attic. Diss. VII. §. 15. sqq.

ſcriptus, *Eponymus* ſit, atque adeo in Faſtos referendus, an potius *Pſeudeponymorum* loco ſit habendus. Eius autem rei dignoſcendae, diiudicandaeque duo characteres ſunt, quorum alter eſt hic: *Si ex ipſius Decreti tempore, quo factum eſt, certis indiciis oſtendi poteſt, eodem anno, quo id Decretum factum eſt, fuiſſe Archontem alium, nempe Eponymum, adeoque in Faſtos relatum, ſine omni fere errandi periculo concludere licet, illum Archontem, qui Senatui aut Concioni Populi praeſediſſe dicitur, cum illud Decretum factum eſt, in numerum Pſeudeponymorum Archontum eſſe referendum:* alter autem hic eſt: *Si ab aliquo ſcriptore ſimpliciter Archontis nomen additur, tanquam perſpicua anni, temporisque nota, quo res aliqua, a ſcriptore commemorata, contigerit, tunc ille Archon habendus eſt Eponymus.* Hae ſunt duae regulae, raro fallentes, ad quarum normam omnis huius rei diiudicatio et inſtituenda et exigenda eſt. Quodſi acciderit, vt interdum hae regulae fallere videantur, tunc ad coniecturarum opem decurrendum eſt, et alia quadam ratione eius rei cognitio inquirenda et inueſtiganda: quomodo autem in ea re verſandum ſit, egregie, vt omnia, docet CORSINVS. b) Quae huc vſque diſputauimus, ea nobis certam quandam, et non fallacem regulam normamque ſuppeditant, ad quam et inſtituenda et componenda eſt quaeſtio, ex quo *Archontum* genere *Agathocles*, cuius nomen huic Decreto praefixum conſpicimus, fuerit. Scilicet cum ex Faſtis Atticis edocti ſciamus, eum annum, quo Decretum hoc factum eſt (qui, qualis fuerit, paullo poſt docebitur) nomine huius *Agathoclis* fuiſſe ſignatum, ad intelligendum perquam facile eſt, hunc *Agathoclem*, non Archontem *Pſeudeponymum*, et *Eponymum*, annique ſignatorem fuiſſe. Iam cum ſatis conſtet, et in ſuperioribus a nobis iam dictum ſit, *Archontis Eponymi* nomen ea de cauſa publicis Senatus, Populique Decretis, legibus, et aliis rebus geſtis fuiſſe inſcriptum, vt certa quadam temporis nota annus, quo quid contigerit, inſigniretur, et ab aliis diſcerneretur, ipſum adeo Archontem illum cognominatum fuiſſe *Eponymum*, quia ciuili anno, cui quaſi praeerat, notam et nomen imponeret, non difficile erit ad inueſtigandum, quo anno hoc Decretum fuerit factum, ſi Olympidem, illiusque annum, quo *Agathocles* Archon Eponymus fuerit, inuenerimus, cum eo tempore, quo haec in honorem *Hyrcani* decreta

b) In Faſt. Attic. tota Diſſert. VII.

ta sunt, annus ciuilis s. Archonticus et Olympiacus vnus idemque esset. Nam ante Olympiadem LXXXVII. ciuilis s. Archonticus annus ab Olympiaco quidem diuersus erat, a *Gamelione* semper incipiens; post Olympiaden autem LXXXVII annus ciuilis s. Archonticus idem erat qui Olympiacus, vterque initium ducens ab *Hecatombaeone*: De qua re CORSNIVS. [c]) Iam cum Viri, in hoc reconditae doctrinae genere versatissimi DODWELLVS [d]) et CORSINVS [e]) ex temporum, Fastorumque Atticorum ratione luculenter ostenderint, *Agathoclem* Athenis Archontem Eponymum fuisse Anno 2 Olymp. CLXXXIII, qui fere incidit in annum Vrbis Rom. Conditae 707; facile quiuis ipse intelliget, quo tempore hoc Decretum fuerit factum. Huius autem Eponymi dignitas Athenis maxima erat, adeo vt HADRIANVS, etsi iam Imperator, tantum de maiestate sua remiserit, vt, dissimulata Imperatoris persona, Archontis et Agonothetae munus susceperit, de quo legendus SPARTIANVS, [f]) et ad eum CASAVBONVS [g]) et SALMASIVS [h]) quod factum est anno 3 Olympiad. CCXXVII seu anno Christi 132, non vt PAGIVS, [i]) mendo Chronici Alexandrini deceptus, 122. Caeterum haec de *Archontibus* disputatiuncula admonet nos cuiusdam loci in N. T. in quo vox *ἄρχοντος*, occurrit, qui qualis ibi intelligendus sit, diligentissimus WOLFIVS ne verbo quidem docuit, neque caetera, quae ibi occurrunt, verba ita a Viris doctis illustrata sunt, vt satis fecisse videantur: quem locum si hac occasione illustrare studeamus, huius digressiunculae veniam, opinor, Humanissimi Lectores nobis dabunt. Est autem is apud D. LVCAM: [k]) *Ὡς γὰρ ὑπάγεις μετὰ τȣ̃ ἀντιδίκȣ σȣ ἐπ' ἄρχοντα, ἐν τῇ ὁδῷ δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτȣ̃· μήποτε κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κριτὴν, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ πράκτορι, καὶ ὁ πράκτωρ σε βάλῃ εἰς φυλακήν.* De singulis paucis videamus. Illud *ὡς* idem hic est, quod apud MATTHAEVM [l]) *ἕως*. Hoc sensu est apud SOPHOCLEM, [m])

Κατεῖχ'

c) In Fast. Attic. Diss. II. §. 22. sqq.
d) De Cyclis Veter. II. Sect. 15.
e) In Fast. Attic. Diss. III. §. 10. et Diss. VI. §. 12.
f) In Vita ADRIANI c. 13. et 19.
g) Ad SPARTIAN. Hadrian. p. 122. Edit. Hackianae.
h) l. c. conf. eundem ad SPARTIAN. Adrian. p. 175.
i) In Dissert. Hypatica p. 88. Criticae Baronianae praefixa.
k) In Euangel. C. XII. v. 58.
l) C. V. v. 25.
m) In Electra v. 574.

Κατεῖχ᾽ Ἀχαιὺς ὡς πατὴρ ἀντίςαθμον
Τῦ θηρὸς ἐκθύσειε τὴν αὐτῦ κόρην.

et in notiſſimo illo, *ὡς ἔτι καιρός*: quod non mirum, cum alterum ex altero ortum ſit, vnde *ἕως* interdum pro *ὡς*. Neque illud *γὰρ* h. l. cauſale eſt: cuius ratio hac particula reddatur: quod quamuis videret BEZA, mirum tamen, quantopere hic argutetur: *Hanc particulam*, inquit, *hoc loco cauſalem non eſſe conſtat, vt quae non ſoleat iungi cum Imperandi modo. Itaque vel eſt expletiua, vel ponitur pro ἂν.* Non multum ſani his ineſt. Non intelligebat, ſiue potius tunc non recordabatur BEZA, *τὸ γὰρ* h. l. transitionem ad aliam rem, cum antecedentibus non magnopere coniunctam, indicare: qua notione ſaepe ab optimis Auctoribus eam particulam, vti a Latinis *Nam* vſurpari, ſciunt omnes, niſi qui tantum ex vulgaribus Lexicis, maxime infidelibus ſane Graecae Linguae Magiſtris, ſapere didicerunt. Sed hoc leue et *ὡς ἐν παρόδῳ*: illud autem paullo grauioris quaeſtionis eſt, quis hic *Archon* ſit intelligendrs (cum ea vox nec in N. T. vna eademque notione occurrat) et quomodo a *κριτῇ* diſtinguendus? quod Lectorum ſcire intereſt, ideoque a WOLFIO, alias accuratiſſimo, praetermiſſum miror. Et LIGTFOOTVS [n]) quidem per *ἄρχοντα Iudices in infimis Synedriis*, per *κριτὴν* autem *Iudices in ſummo Synedrio* intelligit: ſed hic aeque minus audiendus videtur, ac alius vir quidam doctus, qui putat, *ἄρχοντα* hic eum eſſe, *qui non Iudicis, ſed arbitri munere functus, ad lites pecuniarias componendas, Synagogae curam adminiſtrauerit.* Sed non ſunt *ἄρχοντες τῆς συναγωγῆς*, et *ἄρχοντες τῶν Ἰυδαίων*, ſaepe etiam nude *Ἄρχοντες* dicti, confundendi, et permiſcendi, quorum munera longe diuerſiſſima fuere. Mihi quidem non dubium eſt, quin *ἄρχων* h. l. intelligendus ſit magiſtratus ciuilis in vrbe quadam Galilaeae primaria conſtitutus, qui lites et controuerſias dirimeret. Erant autem *Ἄρχοντες Ἰυδαίων* Magiſtratus ciuiles, in prouinciis et oppidis vltra et citra patriae ſuae fines conſtituti, qui controuerſiarum iudices ſedebant, et pro virili ſua popularium ſuorum ſaluti, commodisque proſpiciebant. De his *Archontibus Iudaeorum* docte, accurateque, vt ſolet, egit praeſtantiſſimus P. WESSELINGIVS, [o]) docuitque, hos Archontes longe multumque differre ab iis, qui in ſacris litteris *ἄρχοντες τῆς συναγωγῆς* vocantur,

n) Hor. Hebr. ad Matth. V. 25.
o) In Diatribe de Archontibus Iudaeorum ad Inſcriptionem Berenicenſem.

tur, quos multi, etiam Doctissimi Viri, interdum cum illis confundunt, et pro iisdem habent. Sed ad locum Lucae redeundum. Christus igitur, saepe et diu in Galilaea, et ad lacum Tiberiados versatus cum id consilii daret, vt, qui cum aduersario ad *Archontem* profecturus, ibique disceptaturus est, potius omni cura cum aduersario in gratiam redire studeat, quam carceris periculo se exponat, quidni existimetur ad morem et formam Reipublicae, quae in primaria Galilaeae vrbe obtinebat, respexisse? ex qua *Archon*, Senatus, decemque primi erant constituti. Et in iudiciis quidem, in quibus causae paullo grauiores disceptandae erant, videtur Archon ipse, summus iudex ac praeses, praefuisse, vti in municipiis Dictator aut Duumuiri, de qua re copiose SIGONIVS: p) Sin autem res erant leuiores, quae in disceptationem venerant, neque litigatores inter se ipsi componere volebant, prope verum est, ab hoc *Archonte* vnum aliquem iudicem ex decem primis fuisse datum, qui controuersiam dirimeret. Ex quo illustranda haec verba, *μήποτε κατασύρῃ σὲ πρὸς τὸν κριτὴν*, *ne ad iudicem te trahat*, quis autem? aduersarius? ita quidem vulgo accipi video, sed vereor vt orationis series id patiatur: Sensus potius est, *ne ad iudicem te trahat* Archon: non quo ipse reum, collo obtorto correptum, ad Iudicem, quem ei rei disceptandae constituerat, pertraxerit, (id enim persona ipsius fuisset indignum) sed quia illum hominem ad Iudicis tribunal duci iusserit, loquendi more scriptoribus cum sacris, tum profanis vsitatissimo. Sic apud ipsum LVCAM q) Paullus et Silas, de Duumuiris Philippensibus loquentes, dicunt, *δείραντες ἡμᾶς δημοσίᾳ ἀκατακρίτους, ἀνθρώπους Ῥωμαίους ὑπάρχοντας, ἔβαλον εἰς φυλακήν*: quae omnia non nisi auctoritate et iussu Duumuirorum facta erant. Plura de hoc loquendi more dabunt PERIZONIVS r) et WESSELINGIVS. s) Quod autem ad illa verba, *δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ*, nimis longe petita, ne dicam inepta, est SALMASII t) interpretatio, *Da illi vsuram debiti, vt libereris ab eo*, recte adeo a plerisque omnibus reiecta. THEOPHYLACTVM eodem modo exposuisse, non mirum, cum, latinae linguae quippe ignarus, non viderit, in his verbis esse latinismum.

p) De Antiq. Iur. Italiae Lib. II. c. 8.

q) Act. Apost. C. XVI. 37. cf. C. XXII. 25. 29. 30.

r) Ad Aelian. V. H. Lib. XIV. c. 49.

s) In Diatr. de Archontt. Iudaeor. p. 107.

t) De Foenore Trapezitico p. 478.

nisinum. Recte igitur vulgatus *Da operam.* Nec in his ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ exponendis vna omnium est, eademque eruditorum sententia. BEZA reddit, *vt libereris ab eo*, quod displicet ELSNERO,[u]) qui mauult, *vt discedas ab eo*, aut etiam, *vt dimittaris ab eo placato.* Mior, Viros doctos non aduocasse huc locum parallelum MATTHAEI [x]) διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ. Διαλλάττεσθαί τινι et ἀπαλλάττεσθαι ἀπό τινος sunt ἰσοδυναμοῦντα. Quid igitur est διαλάττεσθαί τινι? Nempe ex vsu Ebraicae vocis רעה, posterioribus temporibus recepto, *in gratiam aliquem restituere, placare iratum*, vt dudum docuit OLEARIVS [y]) et HOTTINGERVS. [z]) Reddendum igitur, *da operam, vt iratum aduersarium tuum places, et in gratiam restituas.* Neque profanorum Auctorum loquendi ratio a sacra hac in re discrepat. Eodem sensu καταλλάττεσθαι est apud PHILONEM,[a]) cui ibi opponitur ἀσπονδεῖν et πολεμεῖν. Apud DIODORVM [b]) ἀπαλλάττειν dicuntur, rei, *qui ex iudicio, quocunque modo dimissi, abeunt.* Eleganter quoque apud DEMOSTHENEM [c]) ἀπαλλάττεσθαι dicuntur, *qui accusationem, quam alicui intentare volebant, placati omittunt:* et apud eundem [d]) ὅπως ἂν διαλλάξῃ αὐτῷ Δημοσθένην *vt sibi reconciliaret Demosthenem*, vnde διαλλαγαὶ *reditus in gratiam* apud eundem in eadem Oratione. In quibus omnibus locis notionem *placandi iratum, et in gratiam restituendi* inuenias. Denique πράκτωρ in hoc LVCAE loco non alius est, quam qui MATTHAEO [e]) ὑπηρέτης dicitur, h. e. lictor, aut alius quicunque vilioris sortis minister Magistratus; qui poenam quamcunque a condemnato, auctoritate Iudicis, exigit. Respondet πράκτωρ Ebraeo נֹגֵשׂ, quod LXX seniores per πράκτορα reddiderunt: [f]) quamquam et saepe apud DEMOSTHENEM aliosque πράκτορες de pecuniae mulctatitiae exactoribus occurrunt.

Εὔλης Μενάνδρου Ἀλιμούσιος ἐγραμμάτευε) Male hic Interpres Latinus partes suas egit, cum reddidit, *de quo Eucles Menandri Alimusius scriba retulit*, quem caue audias: vertendum erat, *Eucles Menan-*

u) Obseruatt. Sacr. T. I. p. 237.
x) C. V. v. 24.
y) De Stylo N. T. p. 95. in Syntagm. Rhenferdiano.
z) De Vsu Scriptt. Hebraicor. in N. T. p. 399. Syntagm. Rhenferd.

a) In Lib. de Decalogo p. 757.
b) Lib. I. p. 58. Edit. Rhodom.
c) Orat. in Midiam. p. 406. et 412.
d) Orat. in Midiam. p. 402.
e) C. V. v. 25.
f) Ies. C. III. v. 11.

 

Menandri filius *scriba erat* f. *scribae munere fungebatur.* Moris autem fuisse, *scribae* etiam nomen Decretis adscribere, cum ex multis aliis, tum ex duobus illis ex THVCYDIDE[g]) et ANDOCIDE[h]) supra a nobis allatis, dilucide apparet: ad quem morem festiue, vt solet, allusit ARISTOPHANES,[i])

Ἔδοξε τῇ Βȣλῇ τάδε
Τῇ γυναικῶν. Τιμόκλει' ἐπεστάτει·
Λύσιλλ', ἐγραμμάτευεν· εἶπε Σωστράτη.
Placuerunt haec Senatui
Mulierum: Timoclea praeses erat:
Lysilla scribae munere fungebatur: Dixit Sostrata:

cf. ad h. l. Enarrator Graecus et KVSTERVS. Hic vero inquirendum est, ex quo *scribarum* genere Eucles fuerit, cum Athenis varios ordines γραμματέων fuisse sciamus. Erat enim Γραμματεὺς βȣλῆς f. βυλευτῶν *Scriba Senatus* f. *Senatorum*, a Senatu electus; isque duplex, quorum alter, τȣ̃ δικαστηρίȣ γραμματεὺς quoque dictus, Leges, alter Psephismata, publicasque literas curabat; erat etiam Γραμματεὺς δήμȣ, in Populi Concione electus, qui Senatui et Populo recitaret, vnde etiam interdum dicitur Γραμματεὺς βȣλῆς καὶ δήμȣ *scriba Senatus et Populi*: quae omnia disertis verbis tradit POLLVX.[k]) Γραμματεὺς, ὁ κατὰ πρυτανείαν κληρωθεὶς ὑπὸ τῆς βȣλῆς, ἐπὶ τῷ (τὰ) γράμματα φυλάττειν *scriba, qui iuxta prytaneam f. singulis Prytaneis, a Senatu sorte eligitur, ad tabulas seruandas et Decreta:* alter, ἐπὶ τȣ̀ς νόμȣς ὑπὸ τῆς βȣλῆς χειροτονȣ́μενος *a Senatu electus ad Leges seruandas:* tertius denique ὑπὸ τȣ̃ δήμȣ αἱρεθεὶς, ἀναγινώσκει τῷ τε δήμῳ καὶ τῇ βȣλῇ *a Populo electus praelegit populo et Senatui.* Cf. in eam rem SIGONIVS,[l]) VALESIVS,[m]) et CORSINVS:[n]) illud vnum addidisse hic iuuerit, γραμματέα δήμȣ *scribam Populi* non diuersum esse ab eo, qui interdum v. c. apud THVCYDIDEM[o]) γραμματεὺς τῆς πόλεως vocatur: de quo etsi paullulum dubitat cultissimae doctrinae Vir, VAN DALEN;[p]) tamen ab Illustri SPANHEMIO[q]) tam luculenter, Veterum auctoritate, confirmatum est, vt nullus dubitationi locus relictus

g) Lib. IV. c. 118.
h) Orat. de Mysteriis p. 220.
i) Thesmophoriaz. v. 380.
k) Lib. VIII. f. 98.
l) De Republ. Athen. Lib. IV. c. 3.
m) Not. ad Harpocrat. p. 35.
n) Fast. Attic. Diss. XI. p. 153.
o) Lib. VII. p. 451. Edit. Duker.
p) Ad Antiquitatt. et Marmor. Diss. V. p. 437.
q) De Vsu et Praest. Numisf. T. I. Diss. IX. p. 705. sq.

lictus videatur. Cum igitur diuersi *scribarum* ordines fuerint, non inepte quis quaerat, qualis γραμματεὺς hic sit intelligendus. Et VALESII [r]) quidem auctoritatem si sequi vellemus, dicendum esset, Euclem fuisse *scribam Senatus:* huius enim nomen Decretis fuisse adscriptum, quemadmodum contra ea Legibus γραμματέως τοῦ δήμου, ille vir eruditissimus contendit: Sed non est, quare, auctoritate tanti viri moti, eius sententiae subscribendum putemus. Cum enim, quicquid in honorem HYRCANI decretum esse hic commemoratur, non Senatus Consultum, sed Plebiscitum sit, facile intelligitur, *scribam Populi* s. *Prytaniae* Tribus πρυτανεύοντης in ea re officio suo functum esse, vt dudum obseruatum DODWELLO. [s]) Dignitatem autem horum *scribarum* apud Athenienses multa multorum Auctorum testimonia confirmant fuisse vilem, ac fere nullam. DEMOSTHENES [t]) ὑφ' ἑνὸς γραμματέως, ὃς ὑπηρέτης ἦν, ὥς φασι, τυραννηθήσεσθαι, *eos vnius scribae, quem apparitorem fuisse dicunt, potestati subiectos esse*, vbi VLPIANVS [u]) εἴρηται δὲ ὑπό τινων, ὡς οἱ παρὰ τοῖς Συρακουσίοις γραμματεῖς σεμνοί τε καὶ ἔνδοξοι, καὶ οὐχ οἱ παρ' Ἀθηναίοις. ὅθεν τὸ ὑπηρέτης συνέζευξεν, ἵνα εἰς ἔννοιαν τοῦ παρ' αὐτοῖς γραμματέως ἀφίκωνται, *Dictum autem est a quibusdam, scribas apud Syracusanos fuisse splendida quadam, illustrique dignitate praeditos, non autem apud Athenienses; vnde Orator coniunxit vocabulum Apparitoris, vt quo loco scriba apud hos esset, intelligerent.* Apud eundem [x]) conuiciis proscindendus AESCHINES vocatur σπερμολόγος, περίτριμμα τῆς ἀγορᾶς, ὀλέθριος γραμματεὺς, *homo nequam, circumforaneus, perniciosus scriba:* ad quem locum conferendus Enarrator Graecus: vnde γραμματεύειν *scribae munere fungi* conuicii loco apud eundem saepe adhibetur. Pluribus de *scribarum* apud Athenienses vili sorte disputat Illustris SPANHEMIVS. [y]) Hoc vnum hic videtur attingendum, errare quosdam viros doctos, qui, auctoritatem VLPIANI [z]) secuti, contendunt, *scribarum* munus non hominibus liberis, aut ciuibus Atheniensibus, sed seruis, aut bello captis fuisse commissum. Quae sententia cum multis aliis conuelli potest, tum *Aeschinis*

r) Ad HARPOCRAT. p. 35.
s) De Cyclis Vet. Diss. III. p. 190.
t) Orat. in LEPTIN. p. 382.
u) Ad Orat. in LEPTIN. p. 149.
x) De Corona p. 331.
y) De Vsu et Praest. Numis. T. I. Diss. IX. p. 704.
z) Ad Orat. de Falsa Legat.

ſchinis exemplo, quem DEMOSTHENES[a]) ſcribae munus obiiſſe teſtatur, cum tamen *Aeſchines* ciuitatis iure ſaltem fuerit condecoratus. Illud autem verius, et monumentis veterum conuenientius VLPIANVS[b]) ſcribit, ſcribis publicis fuiſſe victum in Tholo ſ. Prytaneo praebitum, in quam rem is ita, Θόλος τόπος ἦν, ἔνθα ἐσιτοδοτοῦντο οἱ τοῦ δημοσίου γραμματεῖς, *Tholus locus erat, vbi ſcribis publicis victus praebebatur.* Quid? quod τῷ γραμματεῖ τῆς βουλῆς interdum grauis cuiusdam rei cognitionem commiſſam fuiſſe legimus: de quo eſt apud DEMOSTHENEM[c]) περὶ δὲ τῶν ἀδυνάτων ἐπικρινέτω ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων Στρατηγὸς, καὶ ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως, καὶ ὁ Γραμματεὺς τῆς βουλῆς *De impedimentis autem non tollendis iudicet rerum militarium curator, et Praetor Vrbanus, et ſcriba Senatus*, vt adeo huius ſcribae ſaltem dignitas non infima fuiſſe videatur. Quicquid eius ſit, ex aliis inumeris DEMOSTHENIS, aliorumque locis conſtat, *ſcribas* apud Athenienſes fuiſſe loco non adeo honeſto: Neque honeſtiori loco eosdem apud Romanos fuiſſe, vel ex CICERONE[d]) edocti ſcimus. Habebant ſcilicet Romae non ſolum Magiſtratus, ſed Pontifices etiam ſcribas: qui quidem Pontificum ſcribae interdum, vt hoc obiter dicamus, *pontifices minores* appellantur, quod et LIVIVS[e]) diſerte tradit, et CAPITOLINVS[f]) egregie confirmat: *Eundem*, inquit, *quum ſcriba pontificum eſſet, quos hodie pontifices minores vocant, Pontificem Max. appellauit*: vt adeo non ſit audiendus GVTHERIVS,[g]) qui Pontifices maiores *patricii*, minores autem *plebeii generis* eſſe contendit. Ab his autem publicis Magiſtratuum Roman. ſcribis accurate diſtinguendi ſunt priuati ſcribae, alias *a manu*, aut *ab epiſtolis* dicti: et hos quidem ſcribas priuatos quin intellexerit CORNELIVS,[h]) ſecus ac multorum eruditorum fert opinio, mihi quidem non eſt dubium: *Itaque eum habuit ad manum ſcribae loco: quod multo apud Graios honorificentius eſt, quam apud Romanos. Nam apud nos quidem reuera, ſicut ſunt, mercenarii ſcribae exiſtimantur.* Cf. in eam rem SPANHEMIVS.[i]) Multo maiorem autem dignitatem, auctoritatemque τῶν Γραμμα-

τέων

a) Orat. de Falſ. Legat. p. 242.

b) Ad Orat. de Falſ. Legat. p. 114.

c) De Coron. p. 318.

d) Lib. III. in Verr. c. 78.

e) Lib. XXII. c. 57.

f) In Opilio Macrin. T. I. p. 757. Edit. Hackianae.

g) De Iur. Pontif. I. 17, 22.

h) In Eumen c. I.

i) De Vſu et Praeſt. Numiſ. T. I. Diſſ. IX. p. 704.

